Belot — De Tribuna Plebis. 1872.

DE

TRIBUNIS PLEBIS

DE

ORIGINE ET VI FORMA ET MODO

TRIBUNICIÆ POTESTATIS

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ÆM. BELOT

In eadem facultate jam licentiatus
in Cornelii Lyceo professor

PARISIIS

APUD A. DURAND, ET PEDONE-LAURIEL, BIBLIOPOLAS

9, VIA DICTA CUJAS, 9

(ANTEA DES GRÈS)

1872

DE

TRIBUNIS PLEBIS

DE

ORIGINE ET VI FORMA ET MODO

TRIBUNICIÆ POTESTATIS

DE

TRIBUNIS PLEBIS

DE

ORIGINE ET VI FORMA ET MODO

TRIBUNICIÆ POTESTATIS

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ÆM. BELOT

In eadem facultate jam licentiatus
in Cornelii Lyceo professor

PARISIIS

APUD A. DURAND, ET PEDONE-LAURIEL, BIBLIOPOLAS
9, VIA DICTA CUJAS, 9
(ANTEA DES GRÈS)

1872

DE

TRIBUNIS PLEBIS

DE

ORIGINE ET VI FORMA ET MODO

TRIBUNICIÆ POTESTATIS

PROŒMIUM

Adeo propria et peculiaris Romæ exstitit tribunicia potestas ut cæteras rerum publicarum formas percensenti nihil tale neque simile occurrat. Neque enim Ephori Spartæ, neque Cæsareæ Augustæ *Justiça* tantam vim habuerunt. Ipsi illi tres Venetorum inquisitores nonnisi clam et noctu eos quos suspicio aliqua vel levissima perstrinxisset interficiendos curabant. Tribunus plebis civem romanum, e media Fori luce arreptum, qui se verbo tantum violasset, poterat, videntibus omnibus, indemnatum de rupe Tarpeia dejicere.

Quod si quid tribuni plebis in historia romana egerint, singulis rebus enarrandis, persequi instituam, susceptum opus non hujus periculi modicum studium, sed justi voluminis laborem desideret. Nulla enim Romæ conversio status, nulla communium temporum inclinatio facta est, quin ad eam acciderit grave momentum tribunatus

Præterea, quomodo tribuni agrarias leges pertulerint, Italiamque coloniis conseverint, quasi ab stirpe romana propagatis, jam antea vir apprime eruditus exposuit (1). Neque defuere qui, ampliorem rerum seriem complexi, eademr etractanti, pauca, quasi subseciva, reliquerint (2).

Mihi tribunatus non historiam scribere, sed imaginem e rebus ipsis expressam informare destinatum est. Hoc ut tentem, eo præsertim inducor, quod plerique ad hanc antiquitatis partem enucleandam aggressi (3), non factorum inscitia, sed philosophiæ quodam præjudicio humanis fere mentibus insito decepti verisimile aliquid verum esse arbitrati sunt. Cui enim id non pro certo habetur, in rebus humanis, perinde ac in reliqua natura, omnia ex parvis initiis orta paulatim crescere, et, postquam lento tenore adoleverint, ad maturitatem pervenire? Hac imagine præoccupata ingenia finxerunt tribuniciam potestatem e plebeio, ut ita dicam, cœno emergentem, quæ, quasi mala quædam planta, per humilia et obliqua serpens, necnon discordiis et sanguine civili alita, robur assumpserit et ad summum Capitolii cacumen evaserit adrependo. Quod contra factum esse perspicuum est : Namque illa potestas primo statim ingressu adulta et tota constitit. Ut poetæ commenti sunt Minervam, capite Jovis enascentem, juvenili corpore vigentem, arma gessisse, sic vis tribunicia a Monte Sacro et ab arce Jovis Tonan-

(1) Antonin Macé, *Des lois agraires chez les Romains*, Paris, 1846.

(2) Séran de la Tour, *Histoire du Tribunat à Rome*, Paris, 1774. — Beaufort, *La République romaine*, Liv. IV, chap. 7. — Hennebart, *Histoire de la lutte entre les patriciens et les plébéiens*, Gand, 1845.

(3) Becker, *Handbuch der rœmischen Alterthümer*, zweiter Theil, zweite Abtheilung, Leipzig, 1846, S. S. 247-291.

tis (1) armis septa (2) descendit, et in urbe victrix dominata est. Non igitur secuta est notos crescendi et proficiendi gradus, sed Romam subito invasit et terrore complevit.

Paulatim plebis ira deferbuit. Tum ferus ille tribunatus et indomitus cœpit mansuescere et ad usus communes reipublicæ factus est in dies accommodatior. Neque tamen id mirari libet, tanquam monstrum aliquod naturæ legibus solutum, quod non ex parvo semine ad magnitudinem excreverit. Quum enim e gemino corpore civitas romana coaluerit, e populo scilicet et plebe, Romam, post primos consules, oportuit esse bicipitem. Populus patriciorum urbanus dictaturæ fasces sibi prætulit. Plebs extra triginta curias, extra patriciorum et gentes et clientelas sita, quæ in sedecim rusticis tribubus censebatur, præfecit sibi tribunatum, qui initio non magistratus populi romani fuit, sed rusticæ instar dictaturæ. Magistro populi adversati sunt magistri plebis. Populi imperio et patriciis securibus obviam tetendit compari potestate majestas tribunorum sacrosancta.

(1) Dionysius, VI, 90.
(2) Cic., *De legibus*, III, 8.

PARS PRIMA

ORIGO TRIBUNICLÆ POTESTATIS.

§ 1er. — *Quid fuerit plebs.*

Quales tribuni plebis fuerint indaganti, quid fuerit plebs ipsa prius statuendum. Neque negandum est veteres ipsos plebis vocabulum ambiguo sensu usurpasse. Plebeculam urbanam clientibus et libertis patriciorum scatentem, mercedulisque suis in populari trutina omnia examinantem tanto nomine non semel decoravere (1), legis ipsius auctoritatem secuti. Namque clientelæ, urbe a Servio Tullio quadrifariam divisa, in quatuor urbanas tribus fuerant conjectæ (2). Sed ista neque melior neque

(1) Cic., *De republica*, II, 9. — Dionysius, II, 8 et 9. — Plutarchus, *in Romulo*, 13. — Livius, V, 32 et VI, 18.

(2) Dionysius, IV, 22 et 23, fin.

major pars plebis fuit. Servius enim, postquam urbanas et tribus et religiones constituit (1), ab urbe separatim romana rura in viginti sex pagos distribuit, quibus sui conventus, suæ pecuniarum collationes, sua sacra essent, quæ Paganalia vocata sunt (2).

Hæc ruris descriptio nominibus tenus immutata est, quum pagi per bella Servii et Tarquinii Superbi plures facti in sedecim tribus rusticas contributi sunt. Prima (3) rusticarum fuit Romilia quæ *quinta* cognominata est, quod post quatuor urbanas numerabatur (4). Romiliæ ager, qui a Romulo ex Veientibus captus narrabatur (5), secundum ripam dextram Tiberis a Vaticano usque ad mare pertinebat. Septem veteres pagos eadem tribus comprehendit, et, sub regibus, septem pagorum nomen obtinuit (6). Ad hanc accessere, ante primam plebis secessionem, quindecim rusticæ tribus, scilicet : Voltinia, Claudia, Fabia, Lemonia, Æmilia, Cornelia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, Camilia, Galeria, Pollia et Pupinia (7). Quatuor urbanæ nunquam ultra Pomœrium prolatæ sunt (8), quandoquidem Mons Aventinus, arx illa plebeiæ libertatis, usque ad Claudii principatum, mansit extra sacros urbis limites cippis interjectis

---

(1) *Ibid.*, cap. 14.
(2) *Ibid.*, cap. 15.
(3) Cic., *De lege agraria*, II, 29.
(4) Varro, *De ling. lat.*, IV. 9.
(5) Festus, in exc. Pauli s. v. *Romulia.*
(6) Dionysius, II, 55. V, 31 et 36. — Cf. Plut., *in Romulo*, 25.
(7) Mommsen, *Romanæ tribus*, Altona, 1844.— Cf. *Historiam equit. romanorum*, t. I. p. 422-424 et 365. Dionys., VII, 64 et VIII, 6. Plut., *in Coriolano*, 20.
(8) *Ibid.*, p. 401.

definitos (1). Rusticæ autem crevere semper, tanquam vetus illa Claudia trans Anienem sita, adjectis novis tribulibus (2).

Hæc incrementa rusticæ plebis vel præcipuam causam fuisse crediderim cur plebs in Montem Sacrum secesserit, sibique jura magistratusque ausa sit deposcere, et creare valuerit. In illis sedecim agri romani partibus vivebant agricolæ qui in civibus romanis censebantur, tributa pendebant, quatuor legiones romanas explebant nominibus dandis (3). Quamvis autem ad omnia civium officia apti ac prompti essent, quum nec gentibus patriciorum nec clientelis essent adscripti, in triginta curiis non erant. Ideo nec jura Quiritium exercebant, neque ad sacra urbana admittebantur, neque auspicia capere, neque ullam partem reipublicæ administrare poterant. Hoc eo intolerabilius visum est, quod plebs rustica neque demisso animo fuit, neque inops, neque libertatis ignara. Livius (4) scripsit fortunas patriciorum, primis reipublicæ liberæ temporibus, maximam partem possessione agrorum publicorum stetisse, qui armis essent parti; ex iisdem agris nullam fere partem venisse, neque assignatam fuisse colonis, quæ non plebeiorum esset. Freti soli dominio, quod solet animos ad libertatem erigere, rustici cives injurias nobilium urbanorum non poterant pati. Quas ut retunderent, in Montem Sacrum secesserunt, trans Anienem, tertio ab urbe milliario, non procul a finibus Crustumerinis. Varro etiam secessionem hanc Crustume-

(1) Gellius, XIII, 14. Tac., *Annales*, XII, 23-24. Varro, *L. L.* IV, 32.

(2) Livius, II, 16.

(3) Dionysius, IX, 5 et 13. Ex rusticis et urbanis octo omnino legiones juniorum deligi poterant, quarum quatuor ex urbe ipsa. — Cf. Liv., I, 44.

(4) Livius, IV, 48, an. a. Chr. 413.

rinam vocat (1). Nec citra fidem fuerit tum primum ad agrum romanum eam regionem adjunctam esse, ex qua posthac censa est tribus Crustumina, quæ fuit septima decima rusticarum (2).

§ 2. *Secessio plebis in Montem Sacrum. Creatio tribunorum plebis.*

Quid fuerit secessio plebis in Montem Sacrum, quum alio libro jam antea enarraverim (3), nihil attinet hic pluribus verbis explicare. De hac re præcipua commemorando paucis absolvam. Quoties bellum ingruebat, ab urbanis in agricolas omnia inclinabantur onera. Namque rustici omnia fere habebant incendiis et rapinis hostium aperta et obnoxia, et primi, utpote fortissimi, delectibus agendis decuriabantur, telisque hostium objiciebantur. Urbani vero se suaque muris Romæ tutari solebant. Itaque bello amissa ære alieno sarcire conati, creditoribus patriciis se sæpissime obligabant agricolæ. Sed quum nundinis Urbem mutandis mercibus revisitarent, debitores a patriciis arrepti, ignari legum, ad consulis tribunal compulsi, nexi et addicti fiebant. Liberi homines, vulneribus bello acceptis, nervo et compedibus onerati in patricias domos tanquam servi conjiciebantur. Igitur jam non tutum eis Forum romanum erat, ubi aut frumenta aut animalia sua veno ponerent. Itaque in Montem Sacrum

---

(1) Varro, *De L. L.*, IV, 81. Ed. Müller.

(2) Ad has septemdecim rusticas tribus et ad quatuor urbanas quando accesserint quatuordecim rusticæ quæ XXXV tribuum numerum explevere, Livius memorat : VI, 5. VII, 15. VIII, 11-14. VIII, 17. IX, 20. X, 9. epitome XIX.

(3) *Historia equitum romanorum*, t. I. p. 316–344.

eo secesserunt, quod ibi vellent alterum Forum designare, ubi conventus et mercaturas agerent, liberi a legibus romanis et procul a consulum tribunali. Quum annona Romam non comportaretur, fames in Urbe fuit, et patriciorum clientes aut miserrimi, aut ære alieno mersi, ad Forum illud plebeium confugerunt, quod rustici Jovi Tonanti consecraverant, quia Jupiter Capitolinus sibi infestus factus foret. Ex iis omnibus quæ, hæc amplificando, effudit Dionysii loquacitas unum excerpam. Inducit enim Appium in senatu hæc loquentem : nihil esse magnopere timendum : quum enim centum et triginta millia romanorum essent censa, ne septimam quidem ejus numeri partem ad Montem Sacrum aufugisse : quos mox fames, inopia rerum omnium, et hiberna anni tempestas deberet a tentoriis et Sacri Montis mortuis ramalibus ad urbanos focos retrahere (1). Quod, vel tacente Menenio Agrippa, evenisset, reipsa evenit, sub brumæ hiemalis tempore, tertio secessionis mense, ut fugitivi clientes Romam reverterentur (2). Neque tamen secessioni jam tum finis factus, quod patriciis res, non cum clientibus urbanis, sed cum rustica plebe fuit (3). Agricolæ inter se pepigerant pactumque jurejurando firmaverant, si cui suorum injuria fieret, se mutuo laturos esse opem (4). Hanc conjurationem plebeiorum cum ea contulerim qua, medii ævi temporibus, *commune* fiebat, nec sine causa Niebuhrius plebeiorum universitatem *commune* etiam

---

(1) Dionysius, VI, 62-63. — Cf. Ovidii *Fastos*, III. v. 664, etc.

(2) Dionysius, VII, 1.

(3) Walter, *Geschichte des rœmischen Rechts*, Bonn, 1860. I. Th. I. B. K. IV. Nr 42, recte opponit eos qui secesserant, tanquam cives novos et ruricolas, patriciis qui fuere antiquissimi cives.

(4) Zonaras, *Annales*, in Hist. Byz., Bonn, 1844, VII, 15. t. II. p. 55.

vocat, germanice *Gemeinde*. Hæc conjurata plebs sibi præfecit duos tribunos qui in Monte Sacro magistratum occepere primo plebiscito datum (1), ante quartum diem idus Decembres (2), qui dies posthac solennis mansit ineundo tribunatu. Hæc nova potestas ut fieret, vel potius ut agnosceretur concessit senatus, icto cum plebeiis fœdere, quod velut inter duos disjunctos (3) populos fetialium cærimoniis est sancitum. Neque id illius temporis fuit alienum moribus, quum suam quæque rustica tribus rempublicam haberet. Memoriæ proditum est, circa urbem Tusculum, Papiriam tribum cum Pupinia de finibus agrorum bella gessisse per fetiales indicta (4). Nihil igitur mirum, quod omnes rusticæ tribus, fœdere inter se contra romanam urbem jurato, voluerint cum ea pacis leges jure gentium componere.

Non eodem protinus anno communis Patrum et plebis respublica redintegrata est. Consules novi per secessionem Septembri mense consulatum inierant. Postquam plebs urbana in Urbem reversa est, rustici ex Monte Sacro in Aventinum, qui mons fuit extra Urbem, tribunos plebis et Forum suum transtulerunt (5). Postero demum anno (6), id est post Kalendas Martias, tribuniciæ potestati auctoritatem addidere curiata comitia. Tum primum armati in Urbem descenderunt plebeii, et Forum antiquum et Jovis Capitolini tutelam iterum agnovere. Tribuni plebis ea conditione in gratiam cum patriciis

(1) Festus, s. v. *Plebei*.
(2) Dionysius, VI, 89.
(3) Dionysius, *ibidem*.
(4) Festus, s. v. *Papiria*.
(5) Cic. *De republica*, II, 33. Salluste, *Fragm. hist.*, I, 8.
(6) Cic. *Fragm. I; or. pro C. Cornelio*. — Cf. Dionys., VI, 90.

redibant, ut jure auxilii possent uti etiam adversus consules (1). Quemcumque plebeium aut in jus rapi, aut, manu injecta, in carcerem duci vidissent, poterant tribuni intercessione ant a legibus romanis immunem præstare, aut vindicare in libertatem. Ut legatus exteræ gentis cives suos peregrino juri eximit, neque ab alienigenis damnari sinit, legibus ipse exemptus, sic tribunus plebis rusticos Romæ plane hospites auxilio adversus patricios tuebatur, ipse inviolatus et sacrosanctus.

§ 3. — *Quæ rusticitatis indicia in antiquissima plebe et in primis tribunis plebis appareant.*

Oratorium maxime genus historiam esse veteres arbitrati sunt (2). Nobis vero non placet veritatem rerum pictis quasi ornamentis involvi. Historiæ itaque scribendæ totam rationem nostra ætas mutavit, quod ex ea, non orationis delicias, sed hominum et factorum intelligentiam quærimus. Quum autem, in cognoscenda antiquitate, veteres et testes citemus et magistros profiteamur, operæ pretium est id probare, nos cum eis reipsa consentire, verbis tantum, quod ad notitiam rerum necesse sit, discrepare. In plebe, quam ex agricolis maxime constitisse diximus, in tribunatu, quem rusticam dictaturam appellavimus, multa indicia genuinæ rusticitatis deprehendas ex veterum libris collecta. Id ut quærerem, præsertim impulit nostratis illius scriptoris opinio, qui ipsi Niebuhrio viam aperuit (3). Originem enim tribunorum plebis

(1) Livius, II, 33. Cic., *De legibus*, III, 7.

(2) Cic., *De legibus*, I, 2.

(3) Beaufort, *République romaine*, liv. IV, ch. VII : *Origine des Tribuns de la plèbe.*

inde explicare orditur, quod melior pars plebis ex agricultura vixerit. Jam primum, ante secessionem, Servilio consule plebeiis concilium indicente, Dionysius narrat non plebeculam tantum urbanam, sed ex vicinis agris plebeiorum multitudinem in Forum convenisse. (1) Tributis vero comitiis judicando Coriolano convocatis, rustica multitudo, quanta nondum prius, ex agris Romam confluxit, et in Foro, ut vendendis bovibus aut equis, sic viginti tribubus seorsum congregandis loca sunt discreta funibus, intra quos consisterent et suffragia de reo ferrent (2). Neve domum nocte concubia reverterentur agricolæ, debuere ante occasum solis comitia tributa dirimi (3). Patricii plebem rusticam a comitiis excludere tentaverunt non vi, sed subdolis artibus. Nundinas enim feriarum diem esse voluerunt, ut rustici convenirent mercandi vendendique causa, eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores (4). Plinius refert quoque, ideo comitia nundinis haberi non licuisse, ne plebs rustica avocaretur (5). Ideo evenit ut, centuriatis comitiis, rustici, qui medii census essent, et fere classes a secunda ad quintam complerent, interdum noluerint interesse, ita ut a patriciis eorumque clientibus consules eligerentur (6). Profligatis demum Samnii bellis, dictator Hortensius lege effecit ut fastæ essent nundinæ. Tum primum concio nundinis advocari potuit, et scita atque consulta plebis frequentiore Foro relata sunt:

(1) Dionysius, VI, 27.
(2) Dionysius, VII, 59.
(3) *Ibid.*, IX, 41.
(4) Festus, s. v. *Nundinas*.
(5) Plinius, *Hist. nat.*, XVIII, 3. f.
(6) Livius, II, 64.

quæ trinundino die proposita a singulis atque ab universis facile noscebantur. Inde mos tractus ut leges trinundino die promulgarentur. Ea re etiam candidatis usus fuit in Comitium nundinis venire, et in colle consistere; unde coram possent ab universis videri (1). Errat Dionysius, quum ad prima reipublicæ liberæ tempora leges trinundino promulgandi morem refert. De origine vero et natura rusticæ plebis non errat, quam illæ diversæ de nundinis leges notabilem faciunt.

Nec minus rustica fuit tribunorum atque ædilium plebeiorum quam plebis ipsius indoles. Primi tribuni plebis de parvis Fori, id est mercatorum et nundinatorum inter se jurgiis judicium videntur habuisse (2). Quam tamen jurisdictionem haud scio an nunquam ipsi exercuerint. Sed istum de minutis contentionibus laborem ministris suis, ædilibus plebis, delegaverunt. Hi vero annonæ et mercaturæ et Fori curam habuere, quasi tribuniciæ potestatis usque ab origine participes (3), ideoque plebis judices (4) nominati sunt. Iis imprimis Cereris templi tutela demandata est, et, si quis majestatem tribunorum violasset, ejus familia ad Cereris venibat (5), bonaque eidem rusticorum Deæ consecrabantur (6) in Aventino sitæ. Itaque jam respondere possumus Plutarcho quærenti, cur purpura prætextam vestem tribunus

(1) Macrobe, *Saturn.*, I, 16.

(2) Joan. Lydus, *De magistratibus reip. romanæ*, Paris, 1812. Lib. I. C. 38 et 44, p. 65 et 75. Cf. Isidori *Origines*, Basileæ ap. Petrum Pernam, 1577, L. IX, col. 219, *De civibus*.

(3) Festus, s. v. *Plebei* et s. v. *Sacrosanctum*. Gellius, XVII, 21, n° 11.

(4) Dionysius, VI, 90.

(5) Livius, III, 55.

(6) Cic., *Pro domo*, 48. Dionysius, VI, 89.

plebis non gestet, aliis magistratibus gerentibus? Cur neque lictores habeat, neque pro tribunali sedens responsa det, neque initio anni magistratum ineat, neque, dictatore creato, abdicet, sed, omni jure magistratuum in unum translato, ipse solus officium retineat suum (1)? Videlicet ita id factum est, quod in tribuno plebis nihil fuit urbani, nihil quod a senatu aut a triginta curiis populi romani vere accepisset. Totus fuit alieni juris, totus rusticæ plebis, cujus majestatem Romæ peregrinam tueretur. Quum imperii, quod populus curiatim consultus dabat, nullam partem haberet, imperii insignia non gestabat, imperio nec consulis nec dictatoris obediens, dictatori ipsi oppositus et compar. Quod magis ac magis ita fuisse liquebit, quum ipsam tribunatus naturam descripsero, origini rusticæ congruentem.

---

(1) Plutarchus, *Quæstiones romanæ*, 81-84. Ed. Reiske, Lipsiæ, 1777, t. VII, p. 141.

PARS SECUNDA

DE NATURA TRIBUNICIÆ POTESTATIS.

§ 1er. — *De jure sacrosanctæ potestatis.*

Nihil majus, nihil quod potestati suæ magis proprium foret tribuni plebis in se habuere, quam quod inviolati fuerunt ac sacrosancti. Cujus religionis vim, vel eo quis possit æstimare, quod postea Principes, tribuniciam potestatem adepti, eo nomine majestatem sibi adrogavere, quæ ex plebeia imperatoria, ac, multo post, Principum imitatione, regalis facta est. Per sacratas autem leges tribuni plebis fuerunt sacrosancti. Quærendum igitur quales et quam multæ fuerint leges sacratæ.

Primæ sacratæ legis carmen Dionysius (1) totum ex

(1) Dionysius, VI, 89.

scripsit, quod hic latine verbum verbo, quoad potero, reddens vertere tentabo. Postquam in Monte Sacro « creati sunt tribuni plebis, senatus quidem legatis omnia « bene se habere visa sunt, de quibus missi erant: Brutus « vero, concilio plebis vocato, suasit plebeiis, ut sacro-« sanctam et inviolatam efficerent potestatem, quæ lege « ac jurejurando tuta esse affirmaretur. Placuit id omni-« bus, et a Bruto et a collegis hæc lex scripta est: *Tri-« bunum plebis invitum, ut unum de multis, ne quis quid-« quam cogat facere, neve verberato, neve verberari ab « alio jubeto, neve occidito, neve jubeto ab alio occidi. « Si quis quidquam quod lege hac vetitum sit, fecerit, « sacer esto, bona ejus Cereris sacra sunto. Ejus qui « earum rerum quidquam fecerit, interfector sceleris « purus esto.*

« Ne postea hæc lex abrogari a populo posset, ut in « omne tempus immota duraret, placuit omnes romanos « sacra tenentes jurare, se usuros hac lege et ipsos et « posteros semper. Imprecatio jurijurando addita est, ut « servantibus legem Dii cælestes, Diique Manes propitii « forent, violantibus autem, infausta omnia et a cælesti-« bus et a Manibus fierent, utpote maximo piaculo « obstrictis. Inde mos Romanis est constitutus, ut tribu-« norum plebis corpora inviolata essent et sacrosancta; « quod usque ad hanc nostram ætatem mansit. »

Prima legis Sacratæ pars tribunum plebis imperio magistratuum romanorum eximit, neque quidquam ei pro imperio injungi sinit, aut, ut verbis romanorum usitatis loquar, tribunum plebis *in ordinem cogi*, quasi unum quemvis privatum civem lex prohibet (1). Deinde lex ve-

---

(1) Hunc locum non bene interpretari visus est eruditissimus auctor libri qui *Civitas antiqua* inscriptus est, L. IV, ch. 2. « *Que nul ne s'avise de frapper*

tat, eos qui possint contra cæteros cives virgas ac secures expediri jubere, de tribunis plebis ullum tale supplicium sumere. Hac exceptione a consulis et a dictatoris vi et ab eorum lictoribus tribunus plebis tutus et liber asseritur. Sed quid contineat lex paulo infra expendam. Nunc proposito aptius est formam ipsius legis inspicere, et, quare Sacrata nominetur, quærere. Nimirum hæc lex jurejurando omnium civium confirmata est, quo se suosque posteros ita obstrinxerunt, ut, non modo lex violari sine piaculo non posset, sed ei ne abrogari quidem quidquam postea liceret. Hæc æterni jurisjurandi exsecratio Sacratam legem fecit, neque reipsa quidquam aliud fuit, quam carmen jurandi inter plebem rusticam et populum patricium fœderis illius per fetialium cæremonias consecrati. (1)

Nam, ut Dionysius, per legem sacratam, sic Livius, per fœdus ictum, ait tribunos plebis fuisse sacrosanctos. Lex igitur sacrata nihil differt a fœdere inter duas gentes in æternum jurato, ideoque jure gentium tribuni plebis fuere inviolati (2).

Sacratæ legis signum fuit, non solum juris jurandi æternitas, sed capitalis in violatorem pœna. Nam Festus id sacrosanctum esse definivit, quod, jure jurando interposito, ita institutum sit, ut, si quis id violasset, morte pœnas penderet (3). His igitur indiciis legum sacratarum

---

» *ou de tuer un tribun comme il ferait à un homme de la plèbe.* » Hoc nequaquam verbis legis continetur; namque tribuno, ut uni de multis, id est ut privato, non ut plebeio, imperari quidquam prohibetur.

(1) Dionysius, VI, 89,

(2) Livius IV, 6 : Consules (Cincinnatus et Capitolinus) abhorrebant a violandis iis quos, fœdere icto cum plebe, sacrosanctos accepissent.

(3) Festus, ed. Egger, p. 201. S. v. *Sacrosanctum.* — Cf., Cic., *pro Balbo*, 14.

series discernitur, quas jam nunc enumerare possumus, ulterius explicandas. In earum numerum, post illam quæ in Monte Sacro facta est, referri debent : Lex *Icilia* de interfatione (1), altera *Icilia* de Aventino publicando (2), lex *Horatia Valeria* ne quis magistratum sine provocatione crearet, lex *Duilia* contra eum qui plebem sine tribunis reliquisset (3), lex *Trebonia* contra cooptationem tribunorum plebis (4). Neque mos jurandarum legum omnino obsolevit. Nam, Marii quoquè tempore, lex agraria Saturnini, ut olim *Icilia* de Aventino, jure jurando confirmata est. Metellus Numidicus, quod in eam jurare recusasset, exsilio, quod tum capitale fuit, mulctatus est.

Nunc, quum quid fuerint sacratæ leges, quid sacrosancta potestas, constitui, non possum quin opinionem a mea plane diversam examinem, quam Vico, multis abhinc annis proposuit, vir elegantissimi ingenii recentioris d c trinæ ornamentis illustravit; qui, quum *civitatem antiquam* describeret, id maxime in animo habuit, ut a cognatis gentibus ostenderet eisdem religionum jurisque civilis elementis consuetudines legesque diversissimarum urbium esse concinnatas. Mihi sane in historia antiquitatis idem facere visus est, quod, in scientia rerum naturalium, ille qui, quadrupedum, avium, piscium, anguium formis inter se collatis, corporum figura inæqualium similes tamen partes esse probavit, simili ordine disposites. Egregius itaque scriptor, Græciæ imprimis gnarus, quid Roma cum Græcia commune habuerit, penitus per-

(1) Cic., *pro Sextio*, 37. — Cf. Dionysium, VII, 15-17.
(2) Livius, III, 31-32, — Dionysius, X, 31.
(3) Livius, III, 55.
(4) Livius, V, 11.

spexit, videlicet populum, curias, gentes patricias, Vestæ religionem, uno verbo, quidquid urbe ipsa contineretur. Sed, quod Roma, non antiquum, sed novum, non commune cum aliis gentibus, sed suum ac proprium in lucem protulit, scilicet plebem, tribus rusticas, et tribunatum plebis, id ex civitate sustulit et, ut ita dicam, circumcidit. Plebem fingit extorrem, legibus et religione carentem, Diis hominibusque invisam, tribunosque plebis eadem labe contaminatos, quos ne tangi quidem fas fuerit, adeoque impuros, ut vel eorum occursu patricii polluerentur. Isto modo eos arbitratur fuisse sacrosanctos (1).

Longe aliter sensisse veteres vel ex eo patet, qui affertur, Plutarchi loco. Id receptum fuisse testatur Plutarchus » ut tribunorum januæ nunquam clauderentur, sed noctes » diesque apertæ essent, tanquam portus et perfugium » ope indigentibus. Quanto autem submissius se pro sua » persona gerit, tanto magis augetur potentia tribunus. » Communem enim eum volunt usu, et omnibus facilem » aditu esse, quasi aram, et honoris gratia eum sacro» sanctum faciunt et inviolatum : et si quo in publicum » procedat, mos est omnibus purum efficiendi corpus et » lustrandi tanquam pollutum (2). »

Non igitur per contemptum sacrosanctus tribunus habebatur, sed honoris gratia, et quod omnes lustrari deberent qua incederet, is mos ei consimilis fuit quo non licebat nisi puris mentibus et corporibus ad aras accedere. Præterea Livius sacrosanctos tribunos plebis cæteris ro-

(1) Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, Liv. IV, ch. VII. 5e édition, p. 353-354.

(2) Plutarchus. *Quæstiones Romanæ* 81-84, ed. Reiske, Lipsiæ, 1777, t. 7, p. 142-143.

manis opposuit ut profanis (1), et consulem indignantem inducit quod hi postulent ut sacrosancti habeantur quibus ipsi Dii neque sacri neque sancti sint (2). Denique Cicero narrat tribunum plebis Sextium, suæ causæ propugnatorem, in æde Castoris a Clodianis fere interfectum fuisse « sanctissimo in templo, sanctissima in causa, sanctissi-« mo in magistratu (3). » Si, quod tribuni sacrosancti fuerunt, id interpretemur, quasi impuri et exsecrandi fuerint, fateamur necesse est eodem modo templa deorum fuisse incesta, aras obscænas, Deos ipsos ejusdem labis contagione commaculatos. Quæ quum fieri non potuisse perspicuum sit, debemus illam falsam abjecti et immundi tribunatus imaginem, ab Indorum moribus arcessitam a rerum romanarum historia excludere.

§ 2. — *De ædilibus plebis. An ii quoque fuerint sacrosancti.*

Festus scripsit plebei ædiles non minus populi quam plebei scito, quæ de eo magistratu creando suffragium tulit ut sacris ædibus præessent, esse constitutos ; quos tribunorum plebis ministros fuisse dicant, quia una cum plebeiis ædilibus sint creati (tribuni) dissidente plebe a Patribus (4). Alias addit idem auctor sacrosanctorum e genere tribunos plebis ædilesque ejusdem ordinis fuisse, quod affirmet M. Cato (5). Hinc colligere possumus ædi-

(1) Livius, IX, 8 et 9. — Cf. II, 33.
(2) Livius, III, 19.
(3) Cic., *Pro Sextio*, 38.
(4) Festus, ed. Egger, p. 84. (39, mscr. Bibl. Farn.) s. v. *Plebei.*
(5) *Ibid.*, p, 201. (128 mscr. Bibl. Farn.) s. v. *Sacrosanctum.*

les cum tribunis in Monte Sacro scito plebis creatos esse, deinde cum tribunis quoque scito populi, id est lege curiata (1), in urbe fuisse agnitos et constitutos; denique quum eodem modo electi, eodem jurejurando confirmati fuissent, eos, ut ministros tribunatus, ita participes fuisse sacrosanctæ potestatis.

Festo assentitur Gellius qui « tribunos et ædiles sibi plebem per seditionem creasse » refert (2), nec non et Dionysius, quamvis hic post reconciliatam plebis cum senatu gratiam, plebeiis rogantibus, senatus consultum factum esse dicat, ut sibi possent duos quotannis tribunorum ministros creare (3). Ibi Dionysius, qui paulo ante mentionem fecit confirmatæ per patricios tribuniciæ potestatis, illam senatus auctoritatem memorare videtur, qua opus fuit ut curiæ ædilium quoque potestatem approbarent (4) populi scito (5).

Auctores inter se non discrepant, sed ex copia rerum alius aliud aut omisit, aut, prout majus esse ducebat, notavit. E Livii loco quæstio oritur de ædilium plebis sacrosancta potestate. Is enim narrat consules Valerium et Horatium, restituto post decemviros tribunatu, tribunis quoque ut sacrosancti viderentur, cujus rei jam prope memoria abolevisset, relatis quibusdam ex magno intervallo cæremoniis, renovasse : et quum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecisse sanciendo : « ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus decemviris nocuisset,

(1) Vide *partem tertiam*, § 1.

(2) Gellius, XVII, C. 21, n° 11.

(3) Dionysius, VI, 90.

(4) Dionysius, IX, 41.

(5) Festus ed. Egger, p. 139 : *Scitum populi dicebatur quod sine plebe cunctus patricius ordo, rogante patricio, suis suffragiis jussit.*

« ejus caput Jovi sacrum esset : Familia ad ædem Cereris, « Liberi Liberæque venum iret (1). »

Hæc lex nihil aliud est quam illius primæ sacratæ legis paulo supra memoratæ (2) renovatio. Jovi, non illi quidem cælesti, sed Stygio, id est Diti, consecratur caput ejus sacrosanctæ qui potestati nocuit. Per transpositionem verborum multo ante Livii tempora factam, in cœlanda ipsa lege, accidisse arbitror ut *Decemviris* a *tribunis plebis* separaretur. Nam quum nullius sacrosancti magistratus nisi tribunorum et ædilium plebis usquam mentio fiat, decemviros esse eosdem ac decem tribunos plebis, ædiles ab judicibus non differre vix dubitari potest. Cæterum, Dionysio teste, ædiles olim judices vocati sunt (3).

Quod ad sacrosanctam tribunorum plebis potestatem attinet, monet Livius juris interpretes negare hac lege quemquam esse sacrosanctum : tribunos, vetere jurejurando plebis, quum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Hæc opinio legum sacratarum ipsi naturæ consentanea fuit. Nam vetus illud plebis in Monte Sacro jusjurandnm æternum fuisse demonstravi (4). Intermisso etiam per regnum decemvirorum tribunatu, plebs, dum concederet ut omnes decemviri patricii fierent, excepit modo ne lex Icilia de Aventino aliæque sacratæ leges abrogarentur (5). Nihil igitur opus fuit id renovari, quod jure æternum, reipsa non abrogatum foret. Ideo jurisconsulti recte censuerunt tribunos

(1) Livius, III, 55,
(2) Vide supra, § 1,
(3) Dionysius, VI, 90.
(4) § I. Lex sacrata prima.
(5) Livius, III, 32, f,

plebis ab Horatio et Valerio restitutos, non lege Horatia Valeria, sed prima sacrata lege fuisse sacrosanctos ; hanc enim in omne tempus conditam esse religionem, cujus memoria repeti posset, vis redintegrari non debuerit.

Restat igitur una quæstio de ædilium plebis potestate sacrosancta ; quam iidem jurisconsulti a Livio laudati talem fuisse negabant, vel potius talem non haberi ostendebant hoc argumento : ædilem prehendi ducique a majoribus magistratibus : quod etsi jure non fieret (noceri enim ei, cui lege Horatia Valeria non liceat) tamen sacrosanctum eum jam non videri cui manus injiceretur.

Hæc opinio cum Festi et M. Catonis opinione, qui ædiles plebis sacrosanctos fuisse declarant, conciliari videtur non posse. Omnem tamen difficultatem tollit adhibita temporum ratio. Non enim per se ipsos inviolati fuere ædiles plebis, sed quoad tribunorum plebis fuerunt ministri. Dionysius autem eorum munus immutatum fuisse his verbis testatur : « Quum plebeii id impetrassent ut crea-
» rent duos viros qui tribunos plebis in omni opere adju-
» varent, et res judicarent sibi a tribunis plebis commis-
» sas, et loca sacra et publica et annonam curarent,
» elegerunt eos qui adjutores tribunorum plebis et colle-
» gæ et judices sunt nominati. Nunc tamen lingua latina,
» ex uno suorum munerum, ædiles, id est sacrarum
» ædium curatores appellantur, neque jam ut antea minis-
» tros se præbent alienæ potestati (1). » Eos desisse sacrosanctæ potestatis esse participes, quum tribunorum mandata exsequi desierint, et per se verum est, et simili viatorum more comprobatur. Viatores enim, qui nullam partem tenebant magistratus, sed tribunis plebis appare-

(1) Dionysius, VI, 90.

bant, ut lictores consulibus, fuere ipsi etiam in ministerio tribunatus inviolati et sacrata lege tuti. Nam quum viatorem Icilii tribuni plebis, jussu consulis, lictor vi repulisset, indignati tribuni plebis pro collegio lictorem dignum morte judicaverunt, et ab ædilibus jusserunt de rupe dejici. Egissentque miserum in præceps, ni exorati a senatu fuissent ut ei salutem concederent precariam (1).

Quamdiu ædiles plebis operam decretis tribunorum exsequendis dederint, nec facile dictu est, nec scire ad summam propositi nostri pertinet. Eos a ministeriis tribunorum nondum alienos factos esse constat, quum Senatus in Siciliam legatos misit, duosque tribunos plebis et ædilem, qui a tribunis P. Scipionem, si dicto audiens non esset, prendere juberetur et jure sacrosanctæ potestatis reducere (2). Ultimis igitur reipublicæ liberæ temporibus, ædiles plebis, crescentibus annonæ, fori et ædium ac viarum curis, sacrosanctæ potestatis desierunt esse et ministri et participes.

§ 3. *Quid fuerit homo sacer. Quid consecratio bonorum. De templo Cereris in Aventino sitæ.*

Quamvis verba *sacer* et *sacrosanctus* specie non multum inter se differant, usu invaluit ut maximo significationis discrimine notarentur. Sacrosanctus (3) enim fuit is quem sacrata lex tutum et inviolatum præstaret; sacer

---

(1) Dionysius, X. 31. f.

(2) Livius, XIX, 20, f., an. 204 a. Chr.

(3) Sacrosanctus videtur idem esse ac sacrata lege sanctus. Nam Cicero, *de legibus*, III, 3, legem de tribunis plebis his verbis concipit : *Tribuni plebis sancti sunto.* Sacrosanctus non est qui sacer lege sanciatur.

is quem juberet esse exsecrabilem mortique devotum. » Homo sacer, ut ait Festus, is est quem populus judicavit » ob maleficium, neque fas est eum immolari; sed qui occi- » dit, parricidii non damnatur. Nam lege tribunicia prima » cavetur, si uis qeum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, » parricida ne sit (1). » Alias originem ejus religionis sic memorat: « Sacratæ leges sunt quibus sanctum est, quid- » quid adversus eas fecerit sacer alicui Deorum sicut (2) » familia pecuniaque. Sunt qui esse dicant sacratas quas » plebes jurata in Monte Sacro sciverit (3). »

Initio de iis qui quid contra leges sacratas fecissent judicium tribunorum plebis fuit. Mox vero inventum est temperamentum, quo provocatione ad plebem jus illud horrendum indemnatos devovendi et necandi mitigaretur.

Ad consecrationem bonorum, quæ ad Cereris templum fiebat, idem modus est adhibitus. Anno ipso quo primi tribuni plebis creati sunt, Postumo Cominio et Sp. Cassio consulibus, Cassius in Aventino ædem Cereris, Liberi et Liberæ dedicaverat, super Circum Maximum non procul a carceribus, e quibus currus emittebantur (4). Hujus ædis præcipuam curam habuerunt ædiles plebeii in monte plebeio sitæ et rusticis numinibus consecratæ. Neque ab re alienum est meminisse, rustica numina cum Stygiis fuisse cognata. Itaque cujus caput Jovi Stygio Diisque Manibus erat consecratum, ejus familia et bona Cereri sacra (5) ad Cereris venum ibant, et rationes acceptæ pe-

(1) Festus, s. v. *Sacer mons.* — Cf. supra, § I.
(2) Lege, *sit cum.*
(3) Festus, s. v. *Sacratæ leges.*
(4) Dionysius, VI, 94.
(5) Dionysius, VI, 89. Cic., *pro domo*, 48,

cuniæ cum plebiscitis et senatus consultis æde ipsa asservabantur, quod fuit plebis tabularium (1).

Ejus qui sacratam legem violasset ut caput ita bona consecrandi jus diu penes tribunos plebis fuit. Nam videmus, Marcio Philippo Servilio Cæpione consulibus, a Rutilio tribuno plebis Ti. Gracchi bona esse consecrata quod mulctam privato dixisset tribunum appellanti, et intercessioni non parendo tribunum plebis in ordinem coegisset (2). In ea re, ut in consecratione capitis, de infinito tribunorum plebis jure deminutum est lege Q. Papirii, quæ vetuit ædes injussu plebis consecrari (3). Quæ lex, quanquam ad privatorum bona non pertinebat, tamen cum eo usu conjuncta fuit ad plebem provocandi, quoties de bonorum consecratione ageretur. Itaque quum C. Atinius Labeo, tribunus plebis, foculo posito in rostris adhibitoque tibicine, Q. Metelli censoris bona, qui eum ex senatu ejecerat, consecravisset, cum alter tribunus plebis idem Cn. Lentulo censori fecisset, neutrius consecratio inimico fraudi fuit, neuter consecrata bona obligare religionibus valuit (4). Sed quum Cicero in illa oratione *pro domo sua* indemnati civis bona jure a tribuno consecrari posse neget, fatetur tamen hunc quem dicat tribunicium furorem, ductum esse ex nonnullis veterum temporum (5) exemplis, et prisca et pæne solennia verba hujus carminis fuisse quo in consecranda sua domo Clodius, velato capite, obtestatus Deos, esset usus. Illæ cæremo-

(1) Livius, III, 55.
(2) Livius, XLIII, 16.
(3) Cic., *pro domo*, 50.
(4) Cic., *pro domo*, 47. — Cf. Livii *epitomen*, 59. Plinium, *Hist. nat.*, VII, 45,
(5) Cic., Ibid.

niæ, illa obsoleta verba, tempore Ciceronis, intermortui juris tribunicii vestigia supererant. Adeo verum est tribunatus vim nativam longo usu rerum non confirmatam, sed temperatam esse.

§ 4. — *De interfatione et de perduellione.*

Sacratis legibus tribuni plebis non modo contra vim et ferrum, sed contra verba atque interfationem (1) erant armati. Itaque non solum eos qui corpus suum manu violassent, sed etiam eos qui sibi concionantibus obstrepuissent, mulcta aut morte afficere poterant, vel reos perduellionis ad plebem agere.

Hujus tam sævi juris originem non paucis verbis narrat Dionysius (2). Altero post primos tribunos plebis anno, T. Geganio P. Minucio consulibus, inopia frumenti in Urbe et in agro romano laboratum est. Cujus mali causam quum mutuis odiis patricii et plebeii alii in alios conferrent, concione a consulibus advocata, tribuni plebis et consules sibi invicem obstrepuere. Tribuni Forum, quo plebs conveniret, suæ ditionis locum esse contendebant, consules omnia quæ in Urbe essent, suo imperio subjecta. Quum jam advesperasceret et rustica plebs paulatim dilaberetur, plebs urbana clientium domibus egressa patriciis opem ferebat.

Jam ad lapidationem et ictus ventum esset, ni Brutus, qui priore anno tribunus plebis, tunc ædilis erat, intervenisset. Hic se rixæ finem facturum pollicitus, interrogavit Geganium consulem, ecquid meminisset ea conditione

---

(1) Cic., *pro Sextio*, 37.
(2) Dionysius, VII, 14-19,

proximo anno a seditione cessatum, ut, quoties tribuni plebem ad concionem advocassent, patricii neque interessent neque obessent concionantibus. Geganius se ita factum probe meminisse fassus, hanc a se advocatam concionem alloquendi jus tantum sibi vindicabat. Brutus igitur nihil plebem se morari dixit et concionem in posteram diem ipse distulit. In qua, quum consulis ipsius confessione patricii consistere nequirent, plebs, rogante tribuno plebis Icilio, legem scivit de interfatione. Cujus carmen hoc fuut:

« *Concionanti ad plebem tribuno plebis ne quis quidquam* « *contra dicito: neve dicentem interpellato. Si quis contra* « *quam lege sanctum sit fecerit, tribunis vades dato peten-* « *tibus, se soluturum muletas quas sibi indixerint : ni* « *vades dederit, morte plectitor, bona ejus sacra sunto. De* « *iis qui certare muletas voluerint, judicium plebis esto* (1). »

Hæc secunda fuit lex sacrata non tam atroci carmine quam illa prior in Monte Sacro scita, quum mortis pœnam nonnisi vades recusanti minitaretur. Nihilominus eam hujus legis fuisse vim notat Dionysius, ut neque plebiscitis jam tum se teneri patricii crederent, neque se plebes senatus consultis (2). Ita duæ civitates in una suis legibus, suis magistratibus utebantur (3), idque fuit Romæ discidium, ut vix in unum coalituram esse rempublicam sperari posset (4). Ideo quum Lætorius tribunus a concilio plebis submoveri juberet, præterquam qui suffragium inire deberent, id est Foro arceret patricios, ut plebiscitum fieri posset, adolescentes nobiles stabant nihil ce-

---

(1) Dionysius, VII, 17, f,
(2) *Ibid.*, c. 18.
(3) Dionysius, VI, 88.
(4) Plutarchus, *In Coriolano*, 16. — Cf. Livium, IV, 4,

dentes viatori. Quum vero Lætorius ex his prehendi quosdam jussisset, consul Appius negabat jus esse tribuno in quemquam, nisi in plebeium: non enim populi, sed plebis eum magistratum esse. Ardens ira tribunus mittebat viatorem ad consulem, consul lictorem ad tribunum, privatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu (1).

Cur plebiscitis parere nollent patricii quibus sciscendis abesse deberent alio libro exposui (2). Neque justum erat eos, qui a comitiis tributis excluderentur, ne tribunos obstrependo aut interfando violarent, iis legibus teneri de quibus deliberare non potuissent.

Vanæ igitur leges Valeriæ (3), Publiliæ (4), Hortensiæ (5) fuere, donec, post primum punicum bellum, patricii in tribubus suis suffragii ferendi jus adepti sunt, plebeiis nec jubendo legem nec subeundo jam dispares. Sed antea civitas agitata est intestino et perenni populi et plebis duello, unde ortum est perduellionis crimen cum interfationis crimine conjunctum.

Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur et qui nunc hostis perduellis (6). Disertius Festo Gaius idem refert,

---

(1) Livius, II, 56.

(2) *Histoire des Chevaliers romains*, t. 1, p. 340-351.

(3) Livius, III, 55 : *Legem centuriatis comitiis tulere ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret.*

(4) Livius, VIII, 12 : *Publilius Philo legem tulit, ut plebiscita omnes Quirites tenerent.*

(5) Lælius Felix, *in Gellio*, XV, 27 : *Tribuni autem plebis neque advocant patricios neque ad illos referre de ulla re possunt; itaque ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt. Quibus rogationibus ante patricii non tenebantur donec Q. Hortensius dictator eam legem tulit ut eo jure quod plebes statuisset, omnes quirites tenerentur.* Cf. Gaium, I, 3; Plinium, *Hist. nat.*, XVI, 15, n° 10.

(6) Festus, s. v, *Hostis*.

quos nos hostes appellamus, eos a veteribus perduelles appellatos, per eam adjectionem indicantibus eos cum quibus bellum esset (1). Utrumque videtur e Varronis copia depromptum (2). Nihil igitur fuit crimen perduellionis nisi bellum ei indictum, qui perduellis, id est hostis esse judicaretur. Legem autem sacratam, fœdus in omne tempus inter populum ac plebem ictum, et Fetialium interventu juratum et sancitum fuisse probavimus, tribunosque plebis per legem sacratam, id est jure gentium, fuisse sacrosanctos. Qui patricius tribunum plebis facto aut verbo violabat, fœdus, quantum in se erat, abrumpebat, quod unum erat societatis inter plebeios patriciosque vinculum. A tribunis plebis jam non civis, sed hostis plebi judicabatur. Perduellis erat.

Jure autem gentium antiquo, hostis judicatus, indicta causa, mactabatur aut servorum supplicio plectebatur. Perduellionis judicium etiam in primo jure Quiritium invenimus. Duumviri perduellionem judicabant, et ne innoxios quidem se absolvere posse rebantur. Pœnæ exactores erant potius quam judices (3). Sub regibus a duumviris provocare ad populum, id est ad triginta curias, licebat et provocatione certare. Si duumviri vicissent, perduelli judicato caput obnubebatur, colligabantur manus. Tum lictor arbori infelici, id est cruci (4), damnati corpus reste suspendebat, quod sub furca crucis usque ad mortem verberabatur.

Duopr imos illos tribunos plebis perpetuis duumviris perduellionis in plebem judicandæ causa creatis adsimi-

---

(1) *Digeste*, 50, 16, *De verborum significatione*. Fragm. Gaii, 234.
(2) Varro, *L. L.* v. 3.
(3) Livius, I, 26,
(4) Cic., *pro C. Rabirio perd. reo*, 4 et 5.

laverim. Ex illo antiquo et quasi fero jure tribunorum plebis quo poterant, duumvirorum more, perduelles, indicta causa, capitis condemnare (1), quædam exstant vestigia. Desertor Hispaniensis exercitus C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, id est reus perduellionis actus, damnatusque diu virgis sub furca cæsus est et sestertio nummo veniit (2). Servus igitur est factus libertatemque cum civitate amisit, quæ fuit maxima, Matini tempore, deminutio capitis (3). Nisi jam legibus de provocatione cautum esset, ne de cive romano supplicium sumeretur, præterquam jussu maximi comitiatus (4), non solum C. Matienus supplicio servorum affectus esset, sed confectus, et sub furca crucis, more majorum ,ad mortem verberibus cæsus.

Arripiebatur ut perduellis quicumque interfatione tribunum cum plebe agentem interpellasset, quicumque magistratus patricius, in concione plebis, quidquam pro imperio egisset aut dixisset. Perduellio a tribunis judicabatur ei qui ullo modo ab eis concionem avocabat (5) aut se patricium inserebat concilio plebis (6), denique ei qui aut verbo aut facto tribunos a plebe audebat intercludere (7). Ideo memoriæ proditum erat C Veturium, quod

(1) *Ibid.*, c. 4.

(2) Livius, *epitome*, 55.

(3) Gaius, I, 159; Cf. Ulpiani *frag.*, XI, 10; *Dig.* IV, 4, 9, § 4; Pauli *Sententias*, I, 7; III, 6, § 29; Boethium *ad Cic. topica*, 4, p. 302. Orelli Val. Max., VI, 3, n° 4 et VII, 4; Livium, III, 69, *Epitomen*, XIV. — Dionys., VIII, 87. Hæc collegit Becker *Hb. der ræm. Altherth. Zw. Th. erste Abth.* S. 101.

(4) Cic., *De legibus*, III, 4.

(5) Livius, XLIII, 16.

(6) Livius, VI, 38.

(7) Livius, XXV, 3.

submoto incedentem in Forum tribunum plebis objectu corporis morari ausus esset, nec decedere jubenti paruisset, morte damnatum (1).

Paulatim mitigata est illa in perduellibus necandis sævitia. Nam, primis statim temporibus, a tribunis plebis ad plebem ipsam provocari solitum erat. Deinde lege XII tabularum et lege Horatia Valeria de provocatione, quæ sacratis legibus annumerata est, cautum est, ne quis magistratum sine provocatione crearet, neve quis de capite civis romani nisi comitiis centuriatis rogaret (2). Itaque jam inde ab Horatio et Valerio consulibus (447 a. Chr.) in perduellionis judiciis, seu a duumviris (3), seu a tribunis plebis ad comitia centuriata cœptum est provocari. Manlius Capitolinus a centuriis perduellis judicatus a tribunis plebis de rupe Tarpeia dejectus est (4). Deinde aliud adhibitum est pœnæ temperamentum. Perduellionis reis tribuni plebis mulctam dicere consueverant quingentum millium æris, cui solvendæ, illis temporibus, vix quisquam par erat (5). Si, postquam mulcta apud populum centuriatim citatum esset certata, reus condemnaretur, tum solum exsilio vertebat, bonaque ejus publicabantur (6).

A. Marcio et Cn Servilio consulibus, quum Rutilius,

---

(1) Plutarchus, *in C. Graccho*, 3.

(2) Cic. *pro Sextio*, 30. *Pro domo*, 32. *De lege*, III, 4.

(3) Ita factum esse a Rabirio perduellionis reo videmus, teste Dione, XXXVII, 27-28.

(4) Livius, VI, 20.

(5) Dionysius, XVI, 18, f. — Livius, VI, 38.

(6) Hoc ipsum Niebuhrium fefellit qui ideo negavit perduellionis reum fuisse C. Rabirium, quum a Cicerone defenderetur, quod mulctæ irrogatio in oratione Rabiriana memoretur, cap. 5. — Præfatio Niebuhrii ad sesquipaginam orat. Rabirianæ recens erutam.

tribunus plebis, rogationem ad plebem ferret ne vectigalium, quæ censores locassent, rata locatio esset, Claudius censor ad dissuadendum processit. Quum ei obstreperetur, audientiam facere præconem Claudius jussit, quod contra jus ac fas fuit. Nam, in concilio plebis, magistratum præsertim patricium, quidquam pro imperio jubere sacratæ leges de interfatione latæ vetabant. Eo facto, tribunus plebis Rutilius avocatam a se concionem questus est et se in ordinem coactum. Ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit. Deinde C. Claudio diem dixit, quod concionem a se avocasset, eique perduellionem se judicare pronuntiavit, diemque comitiis a C. Sulpicio prætore urbano petiit. Iis ante diem decimum et septimum kalendas octobres comitiis perduellionis centuriatis dies dicta. Quod si Claudius a centuriis damnatus fuisset, ex narratione Livii ipsa apparet pœnam damnati futuram fuisse exsilium (1).

Perduellibus ergo hi fuere pœnarum gradus semper decrescentes. Tempore novi adhuc ac crudi tribunatus, de perduellibus, tanquam de hostibus judicatis, indicta causa, tribuni plebis supplicium sumebant. Mox, post leges Horatii ex Valerii consulum de provocatione, nonnisi damnati maximo centuriarum comitiatu ad mortem præcipites agebantur. Deinde, legum sævitia mitescente, desertoribus ipsis, qui essent teterrimi perduellium, non jam mors, non ultimum in cruce supplicium a tribunis plebis injungebatur; sed verberati sub furca, tanquam servi venum ibant, id est maxima pro tempore afficie-

(1) Livius, XLIII, 16. Val. Maximus, IX, 5, n° 2. Narrat L. Philippum consulem ob interfationem tribuni Drusi concionantis obtorta gula prehensum et in carcerem conjectum esse.

bantur deminutione capitis. Denique is mos invaluit, ut perduelles ad populum centuriatim convocatum rei agerentur, ibique mulctam certarent a tribunis plebis sibi irrogatam : quam, quod maxima erat, quum solvere vix possent, si damnarentur, in exsilium abibant, minorem capitis deminutionem passi.

§ 5. — *De jure prehensionis, et de rupe Tarpeia.*

Rupes fuit Tarpeia in abruptum præcisa et Capitolinæ arci continens, quo centum gradibus, Taciti ætate, adibatur (1). Hinc hostes patriæ, qui jus gentium violassent, ut factum est in obsidibus Tarentinis, præcipitare moris fuit (2).

Cives etiam romanos, qui atrox aliquod facinus commiserant, tanquam perduelles, magistratus romani de saxo dejiciebant (3). Id inter servos et liberos homines, in luendis pœnis, discrimen fuit, ut, quum in utrosque, ob idem scelus, more majorum animadverteretur, in crucem tollerentur servi, libertatis, in morte ipsa, dejecti de saxo honorem retinerent (4). Si quando ad rupem Tarpeiam, supplicii causa, servi ascenderunt, nonnisi prius manumissi civium mortem oppetiere (5).

Transfugas paulo supra vidimus potuisse, tribunorum plebis jussu, sub furca cædi et in servitutem redigi. Si vero cum eis summo jure ageretur, ratione libertatis

---

(1) Tacitus, *Historiæ,* III, 71.
(2) Livius, XXV, 7.
(3) Horatius, *Sat.* I, 6.
(4) Appianus, *B. civ.* III, 3 f. — Cf. Cic., *ad Attic.* XIV, 15 et 16.
(5) Livii *Epitome*, 77. Dio Cassius, XLVIII, 34.

magis quam vitæ habita, de saxo poterant dejici (1). Id eo factum esse romanæ leges indicant, quod, qui cives ad hostes aufugissent, hostium loco essent habendi. Itaque eos lex Julia majestatis inter perduelles numerat (2), et eos qui sacramenti legem abrupissent, tanquam sacratæ legis violatores, homines sacros fuisse constat (3).

Nullum autem perduellium genus majestati plebis fuit infensius, quam eorum qui sacrosanctæ tribunorum aut ædilium plebis potestati nocuissent. Ut videmus patricios Voleroni saxum Tarpeium esse minitatos, quod lictorem consulis pulsaverat (4), ita solebant tribuni plebis jus suum violatum eodem supplicio vindicare. Dicti enim sunt Decemviri, quod Valerium, contra se orantem, se saxo dejecturos esse denuntiabant, ei vim tribuniciam intentasse (5).

Contra violatores majestatis suæ tribuni erant *jure prehensionis* armati, quod poterant, aut manu sua, aut per manum ædilis vel viatoris exercere. Quicumque aut ab ipso tribuno plebis, aut tribuni præsentis jussu prehendebatur, non poterat, salva religione sacrosanctæ potestatis, obsistere neque repugnare. Qui autem jure esset prensus, si nullus tribunus plebis intercessisset, nihil obstabat quin in vincula, aut ad saxum Tarpeium moriturus duceretur. Itaque tribuni plebis libertatem et vitam civium omnium sibi jure prehensionis permissas in manu tenebant. Quis autem ei non parere ausus esset, cujus

(1) Livius, XXIV, 20.

(2) Pauly, *Real-encyclopædie der classischen Alterthumwissenschaft*. s. v. *Transfuga*,

(3) *Digeste*, XLVIII, 8, 3, § 6. *Code*, III, 27, 1, 2.

(4) Dionysius, IX, 39.

(5) Dionysius, XI, 6.

ad arbitrium sciret se posse indemnatum aut vinciri aut necari? Jus vocationis non habuisse tribunos plebis, neque absentem ad se accire debuisse ut responderet, Antistius Labeo et Varro auctores sunt. Vocatione tamen eos usos esse sæpissime, perinde atque haberent, Varro nos docet (1). Neque id mirum. Non solum enim vocatio, sed jus citandi ad plebem, jus auxilii et intercessionis, jus omnia vetandi, jure cives et magistratus ipsos prendendi et de rupe Tarpeia, indicta causa, dejiciendi, continebantur.

Nullum nobilius neque antiquius exemplum reperias illius quasi dictatoriæ tribunorum potestatis, quam Coriolani judicium, quod factum esse tertio post secessionem anno Livius (2), Dionysius (3) et Plutarchus (4) testantur, Minucio et Sempronio consulibus. Dionysius, ad satietatem usque verbosus, totam rem ita enarravit, ut orationum occasiones captando, quas ex rhetorum umbraculis in historiæ lucem produceret, aliquantum de fide sui libri ipse detraxerit. Ex illis tamen eloquentiæ fluctibus naufraga haud infitiandæ antiquitatis quædam vestigia colligere liceat. Quum Marcius Coriolanus annonæ caritatem non prætermittandam in senatû censuisset, et occasione oblata utendum, ut conditionibus laxandi annonam, tribuniciam potestatem, quasi redimendo, Pa-

---

(1) Gellius, XIII, 12.

(2) Livius, II, 34.

(3) Dionysius, VII, 25-65.

(4) Plutarchus, *in Coriolano*, 16-20. Niebuhrius nequicquam hoc judicium viginti post annis factum esse contendit, post legem Publiliam Voleronis. Hoc est historiam romanam non explicare, sed pervertere. Neque hanc ab eo opinionem gravissimi scriptores mutuati essent, nisi eorum mentibus insedisset imago cujusdam humilis et infantis quodammodo tribunatus, qui nunquam talis fuit. — Cf. Duruy, t. 1er., ch. III, § III, p. 169, note 2.

tres abolerent, indignati tribuni plebis sacratæ legis jusjurandum violari clamitabant. Jusserunt itaque Marcium ab ædilibus plebis, Junio Bruto et Icilio Ruga, prehendi, et vi, si repugnaret, abduci. Patricii vero non ferentes quemquam de suis sine judicio libertatem amitterre, conglobati ædilibus restiterunt (1). Concilio plebis advocato, Marcius, quum citaretur, ædiles plebis pulsavit, tribunos plebis, non Patrum esse dictitans, et auxilii, non pœnæ causa jus illi potestati datum (2). Productus tandem ad plebem Marcius, accusatoris magis quam rei animos gerens, aspere in tribunos plebis invectus est. Irata concione, Sicinius tribunus pauca cum collegis (3) collocutus, pronuntiavit, de collegii sententia, Marcium morte esse damnatum, quod ædiles plebis violasset, et statim jussit ab ædilibus perduellem judicatum prehendi, ad summam arcem protrahi, et de rupe Tarpeia dejici (4). Marcius jam tum sacrosanctæ potestatis violator, fœdere Sacri Montis rupto, hostis plebi declaratus, vi, non lege, indemnatus ad mortem agebatur. Hoc, alio loco, Dionysius notavit (5), Romanos, si quem vellent sine judicio necare, eum solitos esse Jovi Stygio et Diis inferis consecrare, ita ut cuivis eum interficere fas esset. Hoc modo fuit Marcius, indicto a plebe bello, perduellis et sacer.

Intervenere patricii et consules, et vim vi repulerunt. Tum Brutus ædilis Sicinio tribuno persuasit, ut, quum indemnatum Marcium necare non posset, eum sineret

---

(1) Dionysius, VII, 26.

(2) Livius, II, 35. — Dionysius, VII, 27.

(3) Plut., *in Cor.* 18. Plutarchus et Dionysius quinque tum tribunos plebis opinati sunt, quum duo tantum fuerint.

(4) Plut., *Ibidem*. Dionysius, VII, 35.

(5) Dionysius, II, 10.

judicium plebis experiri. In eam conditionem res deducta est, et pax ita convenit inter tribunos et senatum, ut ei plebiscito, quo Marcius ad plebem reus citaretur, more majorum, Patres auctores fierent, et auctoritate senatus judicii forma (1) constitueretur. Quomodo Marcius tributis comitiis damnatus in exsilium abierit, nihil attinet hic referre. Ostendere operæ pretium fuit, potestatem sacrosanctam jurejurando confirmatam, quod patricii stantes super aris et victimis jurassent, jam inde ab origine, consulari potestate fuisse majorem (2), quum tribunis plebis licuerit cives et patricios, indicta causa, morte plectere.

Neque in privatos solum jus prehensionis, aut jus summum vitæ necisque a tribunis plebis destrictum est. Magistratus etiam romani prehensi, in carcerem conjecti jure sacrosanctæ potestatis, denique a tribuno ad rupem Tarpeiam ducti, nonnisi intercessionne alterius tribuni plebis mortem vitavere.

Jam, Quinctio Capitolino et Appio Claudio consulibus, videmus tribunum plebis Lætorium consuli Appio per viatorem vim intentasse (3), et eum in vincula conjicere fuisse conatum (4). Quod jus a senatu ipso agnitum est, viginti fere annis post Decemviros. Nam quum consules T. Quinctius et Julius Mento neque bello gerendo pares essent, neque, jubente senatu, vellent dictatorem dicere, senatores tribunos plebis appellavere, ut dictatorem dicere consules pro potestate (5) cogerent. Tribuni plebis

(1) Dionysius, VII, 36, etc.
(2) Dionysius, VII, 50.
(3) Livius, II, 56.
(4) Dionysius, IX, 48.
(5) Livius, IV, 26.

pro collegio pronuntiavere : « placere consules senatui » dicto audientes esse : si adversus consensum amplis- » simi ordinis ultra tenderent, se eos in vincula duci jus- » suros. » Livius, patriciæ dignitatis assertor, cum consulibus ipsis queri videtur proditum a Patribus summi imperii jus, datumque sub jugum tribuniciæ potestati consulatum. Sed qui senatoribus id in mentem venire potuit, ut tribunorum vi contra consulum pertinaciam uterentur, nisi jam antea jus coercendi consules tribunicia potestate contineri visum fuisset ? Nec semel id factum : quum enim consul Fabius (anno 308 a. Chr.) in eo esset ut Ciminiam Sylviam antea Romanis imperviam intraret, missi sunt ad eum quinque legati cum duobus tribunis plebis, qui ei denuntiarent ne ultra progrederetur. Consulem serius convenere legati quam ut possent a via retrahere. Sed eis ideo adjunctos fuisse tribunos plebis, ut Fabio, si senatui parere noluisset, manus injiceretur (1), ex Scipionis simili exemplo colligitur. Quum enim Scipio proconsul, jamjam in Africam trajecturus, exercitum licentia corrupisse diceretur, missus est a senatu M. Pomponius Siciliæ prætor cum decem legatis qui res inspicerent. Hos comitari jussi sunt duo tribuni plebis, iisque ædilis datus, a quo, si, aut in Sicilia prætori dicto audiens non esset Scipio, aut jam in Africam trajecisset, prendi proconsulem tribuni juberent, quem jure sacrosanctæ potestatis reducerent (2).

Hactenus jus prehensionis tribunorum in consules, auctoritate senatus comprobatum, sed non ultra minas carceris provectum vidimus. (3) Mox reipsa ad corpus

(1) Livius, IX, 35, f.

(2) Livius, XXIX, 20, f.

(3) Livius, V, 9 : *Tribuni plebs carcerem tribunis quoque militum minantur.*

consulum manus adjecta est. L. Lucullus et A. Albinus consules, quod delectum militum severius egissent, a tribunis plebis in carcerem conjecti (1) (an. 151 a. Chr.). Paulo post, C. Curiatius tribunus plebis, quia non impetraret ut sibi denos quos vellet, eximere liceret, consules D. Junium Brutum et P. Corn. Scipionem in vincula duci jussit (2). Denique C. Flavius, tribunus plebis, quum Metellus Celer consul obstaret rogationi legis agrariæ, quæ pro commodis Pompeianorum militum ferebatur, eum in carcerem conjecit. Huc consul senatum convocavit Sed tribunus, in ipso aditu carceris posito tribunicio subsellio, senatores excludebat, donec Pompeius auctoritate sua tribunum loco demovit, et Metellum liberavit (3).

Nec a mortis pœnis aut minis ulla ætate cessatum. Non quod crediderim Valerio Maximo narranti P. Mucium, tribunum plebis, novem collegas suos, qui id egissent, ut plebs orba tribunis relinqueretur, vivos cremavisse (4). Duilio enim plebiscito sancitum est, ut, qui plebem sine tribunis reliquisset, tergo ac capite, non vivi corporis crematione puniretur (5). Sed lictor consulis (an. 454 a. Chr.) ab Icilio tribuno plebis prensus, et pro collegio morte damnatus ad saxum Tarpeium dejiciendus trahebatur, quum precibus senatus vita ejus est condonata (6). Omittamus Manlium de saxo, post centuriarum judicium, a tribunis dejectum. Duobus annis post mortem Ti. Gracchi,

(1) Livii, *Epitome* 48.
(2) Cic., *De legibus*, III, 9. Livii *epitome* 55.
(3) Dio Cassius, XXXVII, 50.
(4) Val. Maximus, VI. C. III, n° 2.
(5) Livius, III, 55.
(6) Dionysius, X, 31.

censor Q. Metellus a C. Atinio Labeone tribuno plebis arreptus est, quem in legendo senatu præteritum offenderat. Jam que, obtorto collo, censor populi romani indemnatus ducebatur et in eo erat, ut de rupe Tarpeia præceps ageretur, ni cæteri tribuni plebis, id ne fieret, auxilio fuissent (1).

Per consulatum via muniebatur ad censuram, quæ, apud romanos, fuit honorum perfunctio. Nullum igitur altius censura fastigium fuit, nisi dictatura. Dictator non aliter ac tribunus plebis in cives vitæ necisque arbitrium habuit. Alter populi, alter plebis majestatem et jus summum persona sua et vi magistratus tuebatur. Ad dictatorem manum a tribuno plebis adjectam, aut a dictatore ad tribunum, inauditum fuit. Poterant enim tribuni supplices asserere non contra privatos dumtaxat, sed adversus ipsos magistratus, dictatoribus tantum exceptis (2).

Vicit tamen dictaturam tribunatus. Nam, quum Licinius Stolo et Sextius ferrent legem, ut consul alter utique de plebe fieret, et, tribubus vocatis, tribuni nobilium amici intercederent, sed, contempta intercessione, tribus deinceps suffragium ferrent, intervenit concilio plebis Camillus dictator. Tum tribuni plebis tulerunt, idque plebes scivit, ut, si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentum millium ei mulcta esset. Id ægre fatetur Livius, patriciorum amicus, tribunis iniquissimus scriptor, et auspiciis, quia vitio esset creatus, non tribunorum minis deterritum Camillum ait se dictatura abdicasse. Nec tamen infitias ire potest, suffectum Camillo P. Manlium dictatorem in causam plebis rem inclinasse (3), et, pos-

---

(1) *Livii epitome* 59. Plinius, *H. N.* VII, 45 (44). — Cic.; *pro domo*, 47.
(2) Zonaras, *Annales*, Bonn, 1844, t. II, p. 55. L. VII, 15.
(3) Livius, VI, 38-39.

tero anno, Camillum ipsum dictatorem refectum et senatum per ingentia certamina esse victos, ut rogationes tribuniciæ acci perentur. Id vero seu fortunæ seu sapientiæ virorum suorum Roma debuit, ut, quum quasi duello comparatæ duæ summæ potestates essent, non vi, quæ utrinque maxima fuit, sed concordia ordinum rem peregerint (1).

§ VI. — *De jure auxilii.*

M. Tullius, legem de tribunis plebis dum concipere tentat, his verbis orditur : « Plebes quos pro se contra vim » auxilii ergo decem creassit tribuni ejus sunto (2). » Livius etiam auxilii lationem contra consules præcipuum jus primorum tribunorum plebis fuisse statuit (3). Neque aliter res se habere poterat, tempore quo ære alieno oppressa plebs in Montem Sacrum secessit, ut decreta consulum contra debitores, nervum et carcerem patricium effugeret (4). Præsentibus malis medicina ea quæsita est (5), ut tribuni possent plebeios in libertatem vindicare, si quando nexi aut addicti ducerentur, nec non et judicio ipsi consulum intercedere, et vetare ne plebeius in jus a patricio raperetur (6). Hæc fuit antiquissima tribunicii auxilii forma.

Sed tutela pauperiorum et debitorum potestatem tribuniciam fuisse primum circumscriptam, neque ad ullam

---

(1) Livius, VI. 42.
(2) Cic., *De legibus,* III, 3.
(3) Livius, II, 33.
(4) Sallust., *Fragm. hist.*, I, 8 ou 10. — Cic., *De rep.*, II, 33.
(5) Cic., *De rep.*, II, 34.
(6) Dionysius, VI, 87 et VII, 30.

aliam rem debuisse aggredi, et patricii olim contenderunt, et multi recentiori ætate rerum antiquarum periti existimaverunt (1). Cui opinioni cum natura tribunatus, tum facta ipsa refragantur. Multis tamen veterum verbis et sententiis carptim hinc atque illinc lectis et quasi comminutis judicium illud nititur, quod cujusmodi sit uno exemplo liceat explicare:

Dionysius consules patricios Romilium et Veturium in senatu disserentes contra tribunatum inducit : « Scilicet » consulibus majestatem regiam datam; tribuniciam vero » potestatem, quasi adventitiam, eatenus admissam esse, » ut eis auxilio esset quibus vis fieret, neque posse, invito » senatu, eam potestatem ne in minimum quidem patricio» rum, nedum in consules, intendi. » Quod si non solum huic trito et pervulgato de humilitate tribunatus loco libeat insistere, sed totam Dionysii narrationem percurrere, longe aliter res ipsa se habere videbitur (2). Nam, quum tribuni, suo more, delectum militum impedirent, consules, contempta intercessione, nonnullos ex iis, qui tribunos plebis appellaverant, in carcerem duci jusserant, et viribus tribunos superabant. Sed, sequentibus diebus, multitudo major rusticorum hominum in Urbem confluxit, et tribuni circa se manum habebant jam non certamini imparem. Prius autem quam se ad civile bellum accingerent, utrique in senatu jurgiis contenderunt, inter quæ Dionysius orationem consulum inserit (3). Sed, paulo infra, plebeiorum opiniones subjicit aliorum alia

(1) Becker, *Handbuch der rœmischen Alterthümer*. Zw. Th. Zw. Abth. S. 264.

(2) Dionysius, X, 33.

(3) *Ibid.* X, 34.

consentium, sed omnino a patriciorum sententiis diversa. Nam sunt qui ad secessionem confugiendum esse dicant, ut ex Monte Sacro bellum patriciis iterum inferatur ; alii, non secedendum, dummodo illi legi pareatur quæ jubeat tribunorum plebis violatores, indicta causa, et indemnatos, ad mortem dedi (1). Ipsa igitur illa narratio, ex qua pauca verba excerpta sunt, ut tribunatus a tenui initio ortus videretur, argumento est, illo anno (453 a. Chr.) ad necandos consules et de rupe Tarpeia dejiciendos, non jus gentium, non jurisjurandi veteris memoriam, non fœderis sancti ulciscendi justam causam, sed vires aut animos tribunis plebis defuisse.

Ejusmodi sunt quæ afferuntur, ut primos illos tribunos plebis pauperum humili patrocinio contentos fuisse probetur. Hæc omnia sunt non ad fidem rerum, sed ad oratorum morem res ipsas pro necessitate causæ augentium aut elevantium accommodata (2).

Si non ad verba, sed ad res ipsas attenderimus, ex Coriolani judicio, ex lege Icilia de interfatione colligere poterimus, primis jam suæ potestatis annis, tribunos plebis plurimum valuisse. Sed de auxilio quoque veteres quid senserint notandum est, quoties non patriciis orationibus, neque locis communibus de majestate senatus et consulum operam dant. Gellius, postquam tribunos plebis jus prehensionis, non jus vocationis habuisse demonstravit, hæc subjicit (3) : « Qui, malum, ratio fuit » vocantibus nolle obsequi quos confiteare jus habere » prendendi? Nam, qui jure prendi, etiam in vincula duci

(1) *Ibid.* 35.
(2) Dionysius, VI, 87 ; VII, 17 et 30 ; Livius, III, 9.
(3) Gellius, XIII, 12.

» potest. Sed quærentibus nobis quam ob causam tribuni, » qui summam haberent coercendi potestatem, jus vo» candi non habuerint, illud succurrit, quod tribuni » plebis antiquitus, non juri dicundo, nec causis quere» lisque de absentibus noscendis creati videntur, sed in» tercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent; » ut injuria, quæ coram fieret, arceretur. »

Hinc patet jus auxilii per varia intercessionum genera exerceri solitum esse, nec quidquam valuisse, nisi quia jure prehensionis, id est summo jure coercendi, niteretur. Cui enim auxilium ferre tribunus plebis potuisset, si intercessionem contemnenti non manus injectio, non carcer, non saxum Tarpeium fuisset propositum? Sublata prendendi potestate, verbum illud intercessionis, *Veto* (1), inane aliquid et vanæ flatus vocis fuisset. Data autem prehensione jus auxilii erat ad omnia efficax. Quis auderet, aut debitorem nectere, aut judicare, aut legem proponere, aut legere, aut senatores sententiam rogare, aut vocare ad suffragium tribus et centurias, si tribunus plebis, ne qua injuria plebi fieret, auxilium interponeret, et intercessionis contemptori repræsentaret aut letum, aut exsilium, aut robur perduellibus debitum? Non alio sensu Livius dixit intercessionem secessione plebis esse partam, et ostendit Camillum, quia tribus, intercessore contempto, ad suffragium vocarentur, auxilium tribunicium imperio tutantem (2).

Scilicet, quemadmodum tribunatus ipse non magistratus romanus fuit certis legibus adstrictus, sed vis summa plebis, quæ, violato sacrosancto fœdere, omnia

---

(1) Livius, VI, 35.
(2) Livius, VI, 38.

jure belli agere et ferre posset, ita auxilium tribunicium non fuit jus quoddam præfinitum, sed, ut ita dicam, infinitum et ad omnia pertinens. Quod quam late patuerit ostendam, quum de variis intercessionum generibus disseram. Non enim auxilii jus illud, prehensione fultum ac fundatum, crevit aut modum excessit, quum vim suam, occasionibus datis, per intercessiones exprompsit, sed contra, ex infinito certum, ex hostili civile factum est; ut, quum Coriolanum, quem interficere lege sacrosancta tribuni indemnatum possent, tribus, præstituto judicio, exsulare jusserunt.

§ 7. — *Intra quos limites tribunatus jura exercerentur.*

Intra Urbis Pomœrium, et, extra Urbem, usque ad primum milliarium tribuni plebis jura sacrosanctæ potestatis, prehensionem et intercessionem habebant. Longius ab Urbe mille passuum, nulla erat ad eos provocatio, neque auxilium cuiquam ferre poterant. Itaque (1) consules Quinctius Cincinnatus et P. Valerius augures adesse ad Regillum lacum jusserant, locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset. Ibi rebantur id omnes jussuros, quod consules vellent; tribunos enim, si eo venirent, in alia turba Quiritium subjectos fore consulari imperio. Idem tribuniciæ potestatis limes immotus mansit usque ad Augusti tempora. Nam Dio narrat, post captam Alexandriam, a senatu delatam esse Octavio tribuniciam potestatem cum jure auxilii ferendi intra Pomœrium, et extra Pomœrium usque ad octavum

---

(1) Livius, III, 20.

hemistadion, quod idem valet ac primum milliarium (1). Quærendum igitur quare tribunatus, quum esset rusticæ plebis magistratus, urbano solo et suburbana vicinitate quasi conclusus fuerit.

Ejus rei causa ab intimo jure civili et publico romanorum petenda est. Fuere apud romanos duo judiciorum genera, legitima, quæ legitimo jure consistebant, et imperio continentia (2), scilicet ea quæ imperio continebantur. « Legitima sunt judicia, teste Gaio (3), quæ in Urbe » Roma, vel intra primum Urbis Romæ milliarium inter » omnes cives romanos, sub uno judice, accipiuntur; » eaque, lege Julia, nisi in anno et sex mensibus judicata » fuerint, exspirant; et hoc est quod vulgo dicitur e lege » Julia litem anno et sex mensibus mori. Imperio vero » continentur recuperatoria, et quæ sub uno judice ac» cipiuntur, interveniente peregrini persona judicis aut » litigatoris. In eadem causa sunt quæcumque extra » primum Romæ milliarium, tam inter cives romanos » quam inter peregrinos, accipiuntur. Ideo autem conti» neri imperio judicia dicuntur, quia tamdiu valent » quamdiu is, qui ea præcepit, imperium habebit. »

Imperio igitur continebantur judicia in quibus esset quidquam peregrinum, aut quivis peregrinus. Porro, quum ea imperio continerentur, quæ accepta erant inter omnes cives romanos et sub uno judice romano, sed extra primum Urbis milliarium, nihil in iis judiciis peregrinum esse potuit, nisi solum in quo consisterent litigato-

---

(1) Dio Cassius, LI, 19. Ed. Gros, t. 7, p. 167, *octavum* hemistadion *idem est ac septem stadia et dimidium, ut germanice* halbacht. *Errat Dio quum addit hoc nunquam antea factum. Octo stadia sunt paulo longiora milliario.*

(2) Solœcum est, sed usu jure peritorum comprobatum.

(3) Gaius. *Instit.*, cap. IV, § 103-106.

res. Populus romanus vetustissimus, in triginta curias divisus, habitavit urbem Romam et suburbanam vicinitatem, quam nos gallice dicimus *banlieue*, primo milliario ab Urbe terminatam. Ideo Valerius ille Publicola instituit, ut consules, intra primum Urbis milliarium, cum imperio esse nequirent, et, Romam revertentes, non illum limitem transgrederentur, antequam secures, insigne imperii, demerentur fascibus. Fasces etiam submissi sunt populo illi curiarum, qui imperium dabat, sed domi non perpetiebatur. Sed, consul Roma profectus, ad primum ab Urbe milliarium, secures fascibus imponebat, et sumebat imperium, quia jam non in populi solo, sed in plebis agro versabatur. Ibi jam, non modo ad tribunos plebis, sed ne ad populum quidem provocatio contra consulem cuiquam data est (1). Hoc ideo factum, quod jus intercessionis tribunicium, imperio militari oppositum, nullam in castris sivisset disciplinam constitui. Civibus ergo contra magistratus a tribunis auxilium poterat ferri, militibus, contra duces, non poterat.

Ut tribuni plebis in solo populi romani, intra primum Urbis milliarium, tanquam legati exteræ cujusdam gentis, jure gentium, erant sacrosancti, ita consules populi romani, ultra primum milliarium progressi, in agro plebis, tanquam in hostico imperitabant.

M. Fabius, Cæsonis filius, et L. Valerius, M. F. an. 482 a. Chr. consules delectum militum peragere nequibant, intercedentibus tribunis (2). Tum, Urbe egressi, in vicinum campum sellas curules et tribunalia transferri jusserunt, eo ubi nullus esset tribuniciæ intercessioni lo-

---

(1) Cic., *De republica*, II, 31. Dionysius, V, 19.
(2) Dionysius, VIII, 87.

cus. Si quis autem vocatus non responderet, ejus arbores et villas excidebant, aut si in alienis bonis villicus agris colendis operam daret, boum paria, et equos, fruges et instrumentum rusticum agebant et ferebant. Ita hostilem in morem coerciti, rusticæ plebis romani nomina dare, appellatione sublata, coacti sunt.

Quod si jus prehensionis senatusconsultis usque in Etruriam et in Siciliam prolatum est, id solvendis legibus senatus effecit, quemadmodum decreto poterat imperium triumphantis intra pomœrium admittere (1).

§ 8. — *Cur Romæ commorari tribuni plebis debuerint.*

Dionysius, eodem loco, refert extra Urbem abnoctandi jus tribunis plebis fuisse ademptum, excepto feriarum latinarum tempore, quo pro latinis populis a magistratibus romanis in monte Albano Jovi sacrificabatur. Tertius enim Latinarum dies commemorandæ pacis causa, inter plebem et Senatum factæ, additus erat, quum, post secessionem, plebeii Romam reversi sunt (2). Iis feriis latinis et vere plebeiis interesse tribunos plebis necesse fuit, quum tribunorum ministri, ædiles plebis, sella eburnea ornati, togam purpuream et regum insignia gerentes, Diis operarentur et victimarum carnem petentibus latinorum populorum legatis dispertirent. Sed, reliquo tempore, Romæ commorari debebant tribuni plebis, nec totum diem quemquam eorum Roma abesse fas erat. Quum autem dies singuli apud Romanos a media nocte usque ad mediam proximam adnumerarentur, qui tribunus ple-

(1) V. Supra, § V.
(2) Dionysius, VI, 95.

bis, post mediam noctem Roma profectus, post primam facem, ante mediam sequentem esset reversus, non dicebatur abfuisse unum diem (1). Propterea jus abnoctandi eis ademptum erat, quoniam, ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum et præsentium oculis opus erat (2). Quo facilius tribunus plebis omni tempore posset appellari, usu receptum fuit, ut tribunorum januæ nunquam clauderentur, sed noctes diesque apertæ essent, tanquam portus et perfugium ope indigentibus (3).

Nec solum auxilii privatis ferendi causa, Romæ assidui esse debebant. Livius senatusconsulti absentibus tribunis facti meminit, cui præsentes haud dubie intercessissent. Senatores tempus captaverant, quo homines ab Urbe solebant discedere, tribuni plebis præsertim, rusticanis occupationibus, plebeiorum more, intenti (4). Ideo tribunicium collegium legibus certis adstrictum est, inter quas ea fuit, quæ tribunum plebis abnoctare vetuit. De natura tribunatus affatim dictum. Nunc, qua forma, quibus legibus collegium tribunorum constitutum fuerit pergam quærere.

---

(1) Gellius, III, cap. 2, n° 7 et 11; Cf. Macrobe, *Saturn.* I, 3. Serv. *ad Æneid.* V, v. 738.

(2) Gellius, XIII, 12, n° 9.

(3) Plut.. *Quæst. rom.* 81. Ed. Reiske. Lipsiæ, 1777, t. 7, p. 142.

(4) Livius, IV, 36, an. 422 a. Ch.

PARS TERTIA

DE COLLEGII TRIBUNICII FORMA AC CONSTITUTIONE

§ I. — *Quibus comitiis electi fuerint tribuni plebis.*

M. Tullius, historiæ romanæ auctor vel locupletissimus scripsit plebem, sexto decimo post reges exactos anno, secessisse, duos tribunos creasse, montem qui postea Sacer nominatus sit, in quo armata consedisset, æternæ memoriæ causa consecrasse; itaque, auspicato, postero anno, X (1) tribunos plebis comitiis curiatis (2) fuisse creatos. Hæc verba non ambigue indicant a plebe ipsa, in Monte Sacro, duos tribunos per seditionem (3) creatos

(1) Librarii mendum inesse reor, X pro II. Decem tribunos plebis tricesimo sexto post primos tribunos anno, nunquam antea fuisse constat. — Cf. *notam* 3 Madwigii *in Orellii Asconio*, p. 76.

(2) Cic., *pro C. Cornelio* I. s. v. *tanta igitur virtus*.

(3) Cic., *De republica*, II, 34. Cf. Festi locum in parte secunda, § 2.

fuisse, quorum non vernacula Romæ potestas, postero anno, comitiis curiarum urbanis auspicato suffragium ineuntibus, aut confirmata sit, aut potius agnita et adoptata.

Quomodo enim homo a rusticanis hominibus electus, intra pomœrium, urbanis potuisset, ignotus ignotis, aut manum injicere, aut obsistere, nisi prius apud populum patriciorum nomen et jus suum fuisset professus? Quam professionem faciendi necessitas cum ea conferenda est, qua exterarum gentium legati atque consules apud nos eam approbationem sui juris dari petunt, quæ *exequatur* nominata est (1). Nihil enim aliud fuit tribunus plebis, intra Romæ pomœrium, quam exteræ cujusdam nationis legatus et propugnator, non indigenæ plebis majestatem præ se ferens et jure gentium inviolatus et sacrosanctus.

Quocirca semper a plebe ipsa electi tribuni plebis non potuerunt, usque ad legem Publiliam Voleronis, se pro veris tribunis gerere, nisi prius, per legem curiatam, patriciis et urbano populo sese agnoscendos dedissent. Itaque Messala augur scripserat, minoribus creatis magistratibus, tributis comitiis magistratum, sed justius curiata dari lege ; majores centuriatis comitiis fieri (2). Quum autem majores dicat fuisse censores, consules,

---

(1) Block, *Dictionnaire général de la politique*, articles : *consuls* et *exequatur* : « Les consuls sont les tuteurs de leurs compatriotes contre les vexations, les » injures et injustices de la contrée où ils habitent. Ils ont la police sur tous » les individus de leur nation. Leurs fonctions supposent un caractère » public ; ce caractère augmente par cette raison que non seulement le consul » est le représentant de l'Etat qui l'a délégué, mais qu'en outre il ne peut » être reconnu qu'autant qu'il est accepté par le souverain du pays où il vient » remplir sa mission.

(2) Messala, *ap. Gellium*, XIII, 15, n° 4, fin.

prætores, restat ut minores, id est tribuni plebis et ædiles comitiis tributis creati, auguris opinione, non justum, non omnibus numeris absolutum habuerint magistratum, nisi lege curiata.

Illa creandorum tribunorum plebis forma Messalæ auguris tempore obsoleta erat, et in commentariis tantum pontificalibus adnotata. Jampridem (1) enim Volero lege Publilia necessitatem legis curiatæ sustulerat, et in eligendis tribunis plebis libera ab auctoribus patriciis plebeiorum suffragia paraverat (2).

Nam de quorum jure vel minima dubitatio hominibus injici poterat, eos tribunos plebis per curiarum improbationem repellere consueverat senatus. Ideo rogatam fuisse legem Publiliam dixit Livius, ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent, id est perficerentur : quæ rogatio omnem patriciis potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos plebis auferret (3). Horum si verborum vim perpendere voluerimus, curiata comitia Livium quoque significavisse pro certo habebimus. Centuriatis enim comitiis, quibus omnia penes primam classem civium forent, raro secunda classis ad suffragium vocaretur (4), nihil per pauperes clientes peragi potuit, dummodo plebs rustica in Campo adesse vellet. Curiatis autem comitiis aderat plebs urbana Quiritium, in clientelas principum descripta (5), et in partem administrandæ reipublicæ vocata, regnante Servio Tullio (6). Dionysius, Livii

(1) Anno 470, a. Chr.
(2) Sallustius, *frag. or. Licinii*, III.
(3) Livius, II, 56.
(4) Livius, I, 43.
(5) Cic., *De republica*, II.
(6) Dionysius, *Ant. rom.*, IV, 22 et 23, fin.

coæquævus et quasi fidus interpres, patricios inducit Publiliam legem ita memorantes, ut jam neque auctoritate senatus tribunos plebis designari, neque curiarum suffragiis fieri dicant (1). Aliis locis idem auctor disertius affirmat tribunorum plebis, Publilia lege, comitia a curiis, quæ auspicato consulerentur, ad tribus, quæ sine auspiciis convenirent, esse translata (2).

Eatenus errat Dionysius, quod etiam in Monte Sacro populum credit curiatim consultum primos tribunos plebis sibi præfecisse (3). Cujus erroris causam ipse aperit, quum adjicit plebem, postquam in Urbem revertisset, patriciis persuasisse, ut magistratus plebeios suffragiis confirmarent (4). Hæc demum patriciorum comprobatio lex curiata fuit, ut patet ex loco orationis pro C. Cornelio, ubi utrumque genus comitiorum M. Tullius prudenter distinxit. Cæterum quum Roma esset duplex, una populi urbani, altera rusticæ plebis, binis comitiis Romani de singulis magistratibus judicabant. Prima autem comitia vocat M. Tullius centuriata et tributa, quorum utrisque curiata solita sint subjungi (5). De nullis autem magistratibus tributis comitiis prius, curiatis posterius judicari potuit, nisi de tribunis plebis ac ædilibus.

Igitur quum de creandorum tribunorum plebis ratione, a secessione usque ad Publiliam legem, omnes veterum sententiæ, Ciceronis scilicet et Messalæ, Livii et Dionysii, mire inter se congruant et cum totius reipublicæ antiquiore forma aptissime cohæreant, non dubi-

---

(1) Dionys., X, 4.
(2) Dionys., IX, 41 et 49, fin.
(3) Dionysius, *A. R.*, VI, 89.
(4) *Ibid.*, cap. 90.
(5) Cic., *De lege agraria*, II, cap. XI.

tandum est quin, tunc temporis, tribuni plebis concilio plebis ipsius designati (1), ita demum potuerint vim tribunatus Romæ exercere, si, tanquam legati tribuum, urbano patriciorum populo per legis curiatæ declarationem innotuissent. Cujus declarationis necessitatem dempsit lex Publilia Voleronis, ex qua tribuni plebis, tributis comitiis lecti ac declarati, e vestigio justa potestate et ad agendum satis instructa præditi esse cœperunt. Eo sensu Livius dixit tum primum tributis comitiis tribunos plebis esse creatos (2). Nec deinde Publiliæ legi, vigente republica, derogatum esse invenimus.

De hac re ut veteres inter se uno ore consentiunt, ita recentior ætas in variarum opinionum partes discessit. Niebuhrius, doctrina summus vir et ingenio, censet ante legem Publiliam centuriatis comitiis tribunos plebis esse creatos, quorum deinde potestas lege curiata fuerit ornanda (3). Cujus moris ne vestigium quidem ullum in veterum scriptis invenias. Hanc opinionem multis argumentis refellit doctissimus Schwegler (4), qui veteres quoque erroris arguit, et creationem tribunorum plebis a curiis prorsus abjudicat. Quod si nullis unquam aliis comitiis quam tributis, ut Schweglero placet, tribuni creati sunt, quorsum igitur spectavit lex illa Publilia qua ad comitia tributa Livius et Dionysius narraverunt tribunorum creationem esse translatam? Dum veterum sententiis obrogat vir sagacissimus, sibi ipse operam haud levem

(1) Livius, II, 56, *Voleronem amplexa favore plebs, proximis comitis tribunum plebi creat..... Plebs Voleronem tribunum reficit.*

(2) *Ibid.*, II, 58.

(3) Niebuhr, *R. Geschichte*, I, 648.

(4) Schwegler, *Ræmische Geschichte in Zeitalter des Kamps der Stände*, Tubingen, 1856, B. II, S. 543, und ff.

imposuit, ut legem Publiliam novam conderet et refingeret. Hanc ea mente censet esse latam, ut tributis comitiis omnia quæ ad reipublicæ administrationem pertinerent, possent per plebem transigi. Opinionem hanc ut tueatur, locum affert Dionysii (1) cujus ipse auctor paulo post, tanquam vana locutus, obliviscitur (2), et locum ex Zonaræ annalibus deprômptum (3) quem si ad Publiliam legem pertinere ratio temporum vincat, nihil tamen inde sequatur, nisi lege Publilia tribunorum numerum esse auctum. Quod si de universa republica deliberandi facultas plebeiis tum data est, hoc jus quodammodo infinitum vix legis carmine concludi potuit. Utut est, Publiliam legem ad creationem tribunorum et ædilium plebis pertinuisse, neque quidquam in ea magis oculis et mentibus veterum obvium fuisse, nemo infitias iverit.

§ 2. — *Ex quibus tribuni plebis eligi nequiverint.*

Quum tribuni plebis non modo adversus consules, sed etiam adversus urbanam patriciorum nobilitatem plebeiis auxilium ferre debuerint, patricii nomen, et tribuni plebis munus quodammodo inter se pugnantia in uno homine non poterant conjungi. Itaque, jam inde ab origine tribunatus, cautum est lege, ne cui Patrum capere eum magistratum liceret (4). Duravit hoc usque ad Clodiana tempora. Negat enim Tullius Clodium justum fuisse tribunum plebis, utpote patricium. Quum contra jus et fas

---

(1) Dionysius, IX, 44, fin.
(2) *Ibid.*, cap. 49, f.
(3) Zonaras, VII, 17.
(4) Livius, II, 33. Cf. Festus, s. v. *plebeium*, ed. Egger, p. 81.

a minore viginti annis Fonteio senator adoptatus, non vere ad plebem transisset Clodius, reipsa in paterna gente cujus sacra ejuraverat, remansit : sublataque plebeii hominis adoptione, totus Clodii tribunatus tanquam pro nihilo habendus concidebat (1).

Neque patriciis solis, sed etiam senatoribus, qui curuli sella sedissent eorumque filiis patrimis præclusa est lege via tribunatus et plebeiæ ædilitatis. Hoc ideo factum est quod, ut quisque plebeius Sextiis legibus ædilitatem, præturam aut consulatum consecutus fuerat, trecentis senatoribus annumerabatur (2) qui triginta curiarum duces et patroni vocati sunt. Urbanæ nobilitati adscripti, ornati jure imaginis ad posteritatem prodendæ, exempti (3) clientelis, patriciis adæquati homines novi, qui magistratus gesserant curules, plebeiorum officia pariter ac jura relinquebant, neque jam tribunorum aut ædilium plebis muneribus idonei videbantur. Eorum autem filii, quoad patres viverent, ejusdem nobilitatis participes, eorumdem munerum expertes esse debebant; sed, patribus extinctis, ad plebem revoluti, recuperabant jus petendæ ædilitatis plebeiæ et potestatis tribuniciæ. Hoc ita usurpatum fuisse exemplo C. Servilii comprobatur, de quo ad populum latum est, « ne Servilio fraudi esset » quod patre, qui sella curuli sedisset, vivo, quum id » ignoraret, tribunus plebis atque ædilis plebis fuisset, » contra quam sanctum legibus erat (4). » Nempe Servilius, quum pater senator, apud Boios captivus, mortuus

(1) Cic., *pro domo*, 13.
(2) Festus, s. v. *præteriti*.
(3) Plutarchus, *V. Marii*, 5.
(4) Livius, XXX, 19.

esse falso crederetur, plebeios magistratus jure suo petere visus fuerat et obtinere (1). Neque, quum, Ciceronis loco paulo supra laudato, Clodius dictus sit adoptatus a Fonteio senator tribunatum plebis gessisse, ideo credendum est, quod senatorum filiis negatum fuerit, id licuisse ipsis senatoribus. Clodius enim usu verbi latiore senator appellatur, neque ante tribunatum plebis curuli sella sederat, nullis antea magistratibus nisi tribunatu militum et quæstura functus (2). Ultimo reipublicæ liberæ sæculo quosdam ex senatoribus tribunatum plebis expetivisse constat, modo ne patricii essent. Plebs enim patricios non admittebat (3). Id eo factum quod, si petitioni tribunatus candidati deessent, plebi ex omnibus deligere tribunos lege permissum est. Itaque Fulvius Flaccus consularis factus est C. Graccho alterius collega tribunatus (3 bis).

Libertas eligendi quos vellent tribunos plebis, aliis etiam legibus constricta fuisse videtur. Quum collegium constiterit ex quinque tribunis plebis, lege Publilia (4), mox, tricesimo sexto post secessionem anno, ex decem tribunis (5), Asconius et Livius nos docent primum singulos (6), deinde binos ex singulis classibus debuisse fieri, itaque cautum esse ut postea crearentur (7). Quæ lex abolita est, quum, confecto primo punico bello, tota

---

(1) Livius, XXVII, 21.
(2) Cic., *de Harusp. responsis*, XX.
(3) Zonaras, *Annales*, Bonn, 1844, L. VII, 15, t. II, p. 57.
(3 *b*) Appianus, *B. civ.*, I, 21, f. et 24. *Epitome*. Livii, LXI.
(4) Piso, *apud Livium*, II, 58.
(5) Livius, III, 30.
(6) Asconius, *ad loc. Cic. pro C. Cornelio*, I, s. v. *Tanta enim virtus*.
(7) Livius, l. l.

reipublicæ ratio immutaretur. Nam Atinio plebiscito tribuni plebis senatores facti sunt (1). Atqui senatoribus, Annibale bellum in Italia gerente, census fuit amplius decies æris, id est quadringentis millibus sestertium (2). Ex prima igitur classe sola electi tribuni plebis jam tum senatoribus poterant adscribi.

§ 3. — *Quot fuerint quoque tempore tribuni plebis.*

Quamvis de numero tribunorum plebis, primis quot fuerint temporibus, ne inter veteres quidem conveniat, non alienum a proposito videtur quærere quomodo aut quibus de causis collegium tribunorum creverit. Cicero duos tantum tribunos plebis in monte Sacro per seditionem creatos (3) numerat, atque ita scriptum fuisse numerum, non librarii recentioris manu insertum, Asconius testatur (4).

L. Calpurnius Piso, Catonis illius censorii fere æqualis et qui tribunatum plebis ipse gesserat, Publilia lege Voleronis tres additos esse tribunos plebis, Livio teste (5), memoraverat, perinde ac si duo tantum antea fuissent. Ejusdem opinionis, ut refert Asconius, Pomponius Atticus fuit. Tuditanus vero et Livius adjecerant tres statim ab illis duobus tribunis collegas esse creatos (6). M. Fabio et Cn. Manlio consulibus, Livius diserte quinorum tribu-

(1) Gellius, XIV, 8, n° 2.
(2) Livius, XXIV, 11.
(3) Cic., *De republica*, II, 34, *pro C. Cornelio*, I, s. v. *tanta igitur virtus*.
(4) *Ascon.*, ad. l. l.; *or. pro C. Cornelio.*
(5) Piso, apud Livium, II, 58.
(6) Asconius, l. l.; Livius, II, 33.

norum mentionem facit (1). In quo magis sibi constare quam veritati obsequi videtur. Nam quoties quinos admittit, nunquam plures duobus nominat (2); Dionysius duos quoque in Monte Sacro electos retulit, quibus tres eodem anno fuerint adrogati (3). Quos etiam nominat. Sed de nominibus non minus quam de numero variatum est.

Quæ quum ita sint, nihil moræ est quin ab eorum parte stemus qui sunt et plures et vetustiores et peritiores rerum, Ciceronis videlicet, Pisonis et Attici (4). Huc accedit quod ad eam opinionem Zonaras (5), non gravis per se ipsum auctor, aliquid tamen adjungit quod Publiliæ legis sensum introspicere nos sinat. Plebem in secessione duos patronos sibi elegisse narrat; deinde auxisse numerum ut singulæ classes suos patronos haberent et vindices; quod ita factum Asconius quoque haud obscure innuit (6). Porro quid sibi voluit Publilius quum legem ferret qua tribuni plebis tributis comitiis fierent? Si Livio credimus, facultatem patriciis ademit per clientes in triginta curias divisos creandi quos vellent tribunos plebis. Clientes autem patriciorum, id est pauperiores urbanæ plebis Quirites, maximam partem in sexta (7) quam memorat Dionysius civium classe censebantur, et in tribubus suffragium ferebant. Noluit ergo Publilius, quum tribunorum

(1) Livius, II, 44. Cf. Dionys., IX, 2.
(2) Livius, II, 52.
(3) Dionysius, VI, 89.
(4) His quoque suffragatur Lydus, *De magistratibus reip. rom.*, Paris, 1812, ed. Fuss et Hase, Liv., I, ch. 38, p. 65, *Septima electio : Duo tribuni plebis*.
(5) Zonaræ, *Annales*, in *Corp. Hist. Byz.*, Bonn, 1844, t. II, p. 55, L. VII, c. 15
(6) Asconius, L. L.
(7) Sexta classis ex ærariis, proletariis, et capite censis constabat.

comitia ab auctoritate curiarum et clientelarum libera tribubus solis traderet, tributis comitiis clientes patriciis obnoxios ad tribunatum posse promoveri. Eam igitur Publiliam legem fuisse credimus, non solum ut tributis comitiis fieri tribunos juberet, sed ut quinque tribunorum collegium institueret, quum bini tantum antea fuissent; cujus rei Piso auctor est. Denique quum ex singulis classibus, sexta relicta, singuli tribuni eligi deberent, lex eadem clientibus et pauperioribus civium, non idoneis ad tuendam libertatem, tribunatus spem præcidit.

Quid causæ esset cur plebeii tantopere augeri tribunorum numerum cuperent, non male vidit abbas *Seran de la Tour* (1). Fieri enim potuit ut ex quinque tribunis plebis alius eloquentia valeret, alius constantia, alius ingenii versutiis, ut collegæ vim collega prudentia temperaret. Sed id potissimum Romanos spectasse crediderim, quum tribuni plebis nullam intercessionem nisi præsentes facere possent (2), ut plures fierent quo pluribus ferrent auxilium. Neque tamen patricii timebant ne collegium tribunicium, quo majus foret, eo iniquius sibi obsisteret. Quum enim unus tribunus toti collegio intercedere posset, tribunis ex pluribus majorem Patres credebant fore unum aut alterum sibi conciliandi copiam (3). Itaque, Minucio et Horatio consulibus, tricesimo sexto post primos tribunos anno, petentibus plebeiis, hand abnuente senatu, decem tribuni creati sunt, bini ex singulis classi-

(1) Seran de la Tour, *Histoire du Tribunat à Rome*, Paris, 1774, t. 1er, p. 102.
(2) Gellius, L. XIII, cap. 12, n° 9.
(3) Livius, II, 44.

bus; itaque cautum ut postea crearentur (1). Usque ad Reipublicæ finem denos quotannis tribunos plebis reperias (2). Dum concederet senatus ut tribunorum plebis duplicaretur numerus, exceperat tamen ne iidem tribuni postea juberentur (3), neve plus una die comitia haberentur tribunicia; si vero decem tribunorum plebis numerus per comitia expleri nequisset, ut per cooptationem expleretur. Itaque de reficiendorum tribunorum plebis aut cooptandorum more agetur.

§ 4. — *De continuatione tribunatus.*

Duos aut plures tribunatus continuare eidem viro licebat per legem. Moribus autem Reipublicæ romanæ absonum fuit, et libertati patriciorum molestum ut quivis potestati annuæ per plures annos insuescere. Id in tribunis plebis tentari multo gravius ferebat senatus quam in aliis, quum videret ex adulatoribus plebis plerumque tyrannos civitatum exsurgere. Potuit igitur plebs Voleronem per biennium (4), Terentillum Arsam per lustrum totum (5) tribunos plebis jubere, invito tamen senatu, qui et consules et tribunos plebis refici contra rempublicam esse judicaverat (6). Huic senatus consulto plebs parere noluit. Neque ante eosdem tribunos creari desitum, quam

(1) Livius, III, 30. Dionysius, X, 30.

(2) Diodorus, XII, 25. Cic., *in Vatinium*, VII, *de legibus*, III, 3 et 10. — Gellius, VII, 19, n°s 4, 5, 6. — *Undecimum tribunum plebis cooptatum fuisse non verisimile est.* Livius, IV, 16.

(3) Livius, III, 30.

(4) Livius, II, 56.

(5) Livius, III, 31; Cf. 14.

(6) Livius, III, 21.

Patres ad denos usque eorum numerum augeri passi sunt (1). Novi tamen tribuni, quasi ea conditione veteres tantum tenerentur, et ipsi non semel refecti sunt (2).

Post decemviratus finem, ex decem tribunis novem sibi magistratum renovari petierunt. Uni, qui ex continuatione tribunatus invidiam imminentem cernebat, M. Duilio sorte evenit ut præsset comitiis. Negavit Duilius se ullius collegarum rationem habiturum; qui ambitioni suæ libertatem comitiorum prætendebant lege concessam. Duilius autem pessimum induci morem, et Decemvirorum exemplum a plebeiis magistratibus renovari e republica esse non censebat (3). Nihilominus tenuit consuetudo repugnante senatu, ut plebs, quoties vellet, tribunos eosdem reficeret. Licinius Stolo et Sextius, decies honore continuato, cum rogationibus suis, donec perferrentur, consenuerunt (4) et quinquennium totum, curulium magistratuum comitiis per intercessionem sublatis, Romæ quasi regno visi sunt potiri (5). Sed utrum id patriciæ libertatis ratio posset recipere usque ad Gracchorum tempora in controverso jure mansit. Quum enim Ti. Gracchus alterum peteret tribunatum, et jam a primis tribubus renuntiaretur, exclamaverunt divites et patricii duos deinceps tribunatus eumdem, legibus salvis, gerere non posse (6). De quo, quum dubi-

(1) Dionysius, X, 30.
(2) Livius, III, 31
(3) Livius, III, 64.
(4) Livius, VI, 38, 39.
(5) Livius, VI, 35.
(6) Cic., *De legibus*, III, 3. *Nescio an id lege Genucia vetitum fuerit qua cautum ne quis eumdem magistratum intra decem annos caperet.* Livius, VII, 42. Cf. App., *B. civ.*, I, 100.

taret, qui comitiis præerat, Rubrius abscessit et tribunorum concertatione exempto die in posterum comitia dilata (1). Ibi quum Ti. Gracchi rationem haberi amici vellent, inimici vetarent, ortus est tumultus quo Ti. Gracchus a Scipionis Nasicæ asseclis interfectus est. Paulo post vindex et Gracchi et libertatis plebeiæ C. Carbo rogationem tulit ut eumdem tribunum, plebi, quoties vellet, creare liceret. Rogationem P. Africanus gravissima oratione dissuasit in qua dixit : Ti Gracchum jure cæsum videri; tenuitque ne lex perferretur (2). Id tantum lege sancitum, si petitioni tribunatus candidati deessent, licere plebi ex omnibus tribunum eligere (3). Ea de causa duos deinceps tribunatus gerere potuit C. Gracchus. In tertii vero petitione repulsam tulit, nec multo post vi Opimii oppressus est (4).

§ 5. — *De cooptatione tribunorum plebis.*

Cooptationis morem collegia pontificum a gentibus patriciis, et gentium patriciarum sodalitatibus mutuata sunt (5). Simul ac lege quæ decem tribunos plebis annuos constituit, infimæ plebis, id est sextæ classis homines, tribunatui gerendo impares sunt declarati, cœpere eligi tribuni plebis e primoribus quinque classium, et aliquando ex prima classe justo plures. Quadraginta annis post legem quatuor simul equites romani tribuni ple-

(1) Appianus. *B. civ.*, I, 14.
(2) Tit. Livii *epitome*, LIX.
(3) Appianus, *B. civ.*, I, 21, f.
(4) *Ibid.*, I, 22.
(5) Bouché-Leclercq, *Les Pontifes de l'ancienne Rome*. Paris, Franck, 1871, Liv., V, ch. 1er.

bis facti sunt (1). Hoc igitur patricii sperabant, si in tribunorum, ut in pontificum, numero collegæ sibi adsciscerent collegas, tribunos ita cooptatos Patrum quam plebis fore observantiores. Quum igitur comitia tribunorum uno die et ante occasum solis perfici deberent (2), ne rustici in Urbe noctu detinerentur, carmen rogationis his verbis fuerat conceptum :

Si tribunos plebei decem rogabo, si qui vos minus hodie decem tribunos plebei feceritis, hi tum uti quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi quos hodie tribunos plebei feceritis (3).

Decimo fere anno postquam hic rogandi modus fuerat lege definitus, habente comitia M. Duilio, quinque tribuni creati sunt, quum cæteri, propter numerum candidatorum tribus non explerent. Concilio dimisso, quinque electi quinque alios sibi per cooptationem adlegerunt, inter quos fuere duo patricii consularesque Sp. Tarpeius et A. Aterius. Sed non diu sacras leges irrideri passus est Trebonius qui sibi cognomen Aspero ex insectatione Patrum peperit.

Legem enim eodem anno pertulit ut « qui plebem ro- « manam tribunos plebi rogaret, is usque eo rogaret, « dum decem tribunos plebi faceret (4). » Quadragesimo quinto post anno, Treboniæ legis Trebonius alter suscepit patrocinium. Quum enim decem tribunorum numerus

---

(1) Livius, IV, 42.

(2 Dionysius, IX, 41. Walter, *Geschichte des rœmischen Rechts*, dritte Auflage, B. I, cap. IV, n° 45, S. S. 73-74.

(3) Livius, III, 64.

(4) Livius, III, 65.

adimpleri comitiis non potuisset, convellendæ legis occasionem nacti patricii obtinuerant, ut, si minus ex suis gentibus, at saltem ex plebeiis suæ voluntati addictis, duo tribuni a collegis cooptarentur. Quod nescio an et adlectis et iis qui adlegerant male cessisset, ni plebis iram tribuni a se in duces qui bellum improspere gesserant tempestiva accusatione avertissent (1). Neque postea aut legi Treboniæ obrogatum esse aut de comitiorum jure scimus quidquam esse detractum.

(1) Livius, V, 10 et 11.

PARS QUARTA

DE MODO TRIBUNICIÆ POTESTATIS.

§ I. — *Quid pro collegio tribuni plebis soliti fuerint decernere. De auctoritate plurium in collegio et de jure singulorum. De appellatione et de intercessione tribunorum contra collegas.*

Tribuniciæ potestati nihil fuit quod adderetur. Modus ei adhibendus fuit ut in civitate tolerabilis, cæterarumque potestatum tolerantior fieret. Ad temperandam ejus vim multum contulit ipse decem tribunorum numerus. Quum enim unus tribunus plebis vel adversus omnes satis esset, Patres ipsi aliquos ex tribunis appellabant et, partim gratia, partim auctoritate, obtinebant ut tribuniciæ potestatis vires salubres vellent reipublicæ esse (1). Ea enim

(1) Livius, II, 44.

fuit vis tribuniciæ potestatis ut tota in singulis consisteret. Si quis tribunus id vetaret unus quod plures collegæ decrevissent, vetantis jure cæterorum decreta tollebantur (1). Is etiam intercessor, qui uno verbo collegii totius voluntati obsistere potuit, ne causam quidem ullam intercessionis afferre necesse habuit (2). Non semel agrariis legibus per intercessionem eorum obviam itum est, qui latoribus essent collegæ (3). Videmus etiam, quum mota est actio transmigrandi Veios, tribuniciam vim tribunicio auxilio esse repulsam (4), neque vocem illam intercessionis, *Veto*, ingratam accidisse auribus patriciorum qui contra rogationes Licinii et Sextii sibi tribunorum aliorum auxilium comparaverant (5).

Quid esset intercessio tribunorum plebis contra collegas appellatorum luculenter exposuit vir juris et rerum publicarum peritissimus (6). Omnes enim magistratus eodem jure præditi erant. Consul consuli eodem modo poterat obnuntiare (7), prætor prætoris decretis intercedere (8), et auxilio esse contra collegam appellantibus (9), denique nota censoris ab altero censore deleri (10). Id vero animadvertendum est, non solum contra collegas sed

---

(1) Plutarchus, *Ti. Gracchus*, 10; *Cato minor*, 20.
(2) Appianus, *B. civ.*, I, 23.
(3) Livius, IV, 48.
(4) Livius, V, 25, 29.
(5) Livius, VI, 35.
(6) Laboulaye, *Essai sur les lois criminelles des Romains*, Paris, 1845. — *Du tribunat*, ch. VI, p. 65.
(7) *Ibid.*, p. 31. Suetonius, *in Cæsare*, 20.
(8) Cic., *in Verrem*, I, 46.
(9) Cæsar, *B. civ.*, III, 20.
(10) Laboulaye, *ibid.*, p. 43. Cf. *de legibus*, III, 3 : *Par majorve potestas plus valeto.*

etiam contra quamvis potestatem tribunorum intercessionem valuisse.

In collegio tribunicio unius tribuni aut minoris partis voluntas rata fuit, si cui auxilii ferendi causa collegis obstitissent intercessores. Videtur jam in moderanda tribunicia potestate hanc sententiam jurisperitorum, *odia esse restringenda*, usu fuisse comprobatam, et quidquid in gratiam singulorum fieret severioribus judiciis esse prælatum. Quum Postumius injussu populi, sine auctoritate senatus, triumphum peteret, adversus septem tribunorum intercessionem, trium tribunorum auxilio triumphavit (1). Paulo antea Appium Claudium, post anni et sex mensium spatium se abdicare censura recusantem, P. Sempronius tribunus plebis, sex collegis approbantibus, prendi jussit et in vincula duci. Tres tribuni auxilio fuere, et Appius, contempta Æmilia lege, contempta majori parte collegii tribunicii, solus censor fuit (2). Quæ exempla sese ipsam temperantis tribuniciæ potestatis eo magis conspicua sunt, quod unus tribunus poterat consulem triumphantem curru, aut censorem concionantem suggesto detrahere (3).

In P. et L. Scipionibus, unius Ti. Gracchi contra novem collegas intercessio valuit. P. Scipio reus, ne ad causam dicendam adesset, Liternum concessit et morbum causatus est. Novem tribuni appellati a L. Scipione decreverunt, sibi placere eam causam accipi, diemque prodici. Ti. Gracchus decreto collegarum nomen suum adscribi noluit et decrevit se P. Scipionem absentem accusari non

(1) Livius, X, 37.
(2) Livius, IX, 34, f.
(3) Grævius, *Thesaurus Ant. Rom.*, t. II, col. 1126, B.

passurum, et, tum quoque quum Romam redisset, si se appellasset, auxilio ei futurum ne causam diceret. Quod decretum, quia periclitanti plus tribuebat, prævaluit (1). Lucii quoque temporibus solus subvenit Ti. Gracchus. Damnato peculatus L. Scipione, P. Nasica tribunos appellavit. Terentius prætor, ni pecunia in ærarium referretur, se nihil habere quod faceret aiebat, nisi ut reum in vincula duci juberet. Tribuni plebis in consilium secesserunt et C. Fannius ex sua collegarumque aliorum, præter Gracchum, sententiam pronuntiavit : prætori non intercedere tribunos quominus sua potestate utatur. Ti. Gracchus solus decrevit, se non passurum L. Scipionem in vinculis esse. Quod decretum Livius ex Valerio Antiate desumpsit, Gellius ex annalium monumentis exscripsit (2). Collegii sententia unius tribuni reo faventis decreto victa est.

Sæpissime in aliis causis aut plurium tribunorum aut collegii totius valuit auctoritas. Namque postquam se decem numero factos tribuni viderunt, et periculum esse ne collegium dissensione laboraret et ambitioni patriciorum se opportunum præberet, conjuravere inter se, quod pluribus placuisset, id neminem intercessione moraturum esse (3). Quanquam is unius anni inter tribunos consensus fuit, Decemviros id exemplum secutos esse videmus, appellatione collegarum et intercessione sublata (4) Collegia tribunorum reperire est, quibus nemo a collegis dissideret. Appellante senatu contra consules T. Quintium et

(1) Livius, XXXVIII, 52.
(2) Livius, XXXVIII, 58-60. Gellius, VII, 19. Val. Maximus, IV, 1, n° 8.
(3) Dionysius, X, 31, f.
(4) Livius, III, 36 : *Intercessionem consensu sustulerant.*

Julium Mentonem, tribuni ad deliberandum secesserunt et pro collegio, nemine intercedente, pronuntiaverunt consules senatui dicto audientes esse debere (1). Nec multo post, collegium secreto de rogandis legibus deliberare solitum esse animadvertimus (2). Decreto tribunicii collegii Mancinus ædilis ab agendo cum populo contra meretricem Mamiliam prohibitus est, dicta utrinque causa tanquam apud tribunal et consilium judicum (3). Denique quum Sthenius Syracusis absens a Verre prætore rei capitalis damnatus esse diceretur, appellati sunt tribuni plebis, quorum edicto non licebat quemquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset. Apud collegium tribunorum Sthenii causam egit Cicero, tanquam apud consilium illud judicum quod apud nos dicitur *Cour de cassation*. Postquam Cicero tribunos docuit hanc damnationem duci non oportere quæ contra jus facta esset, id de omnium sententia pronuntiatum est, *non videri Sthenium impediri edicto quominus liceret ei Romæ esse* (4).

Non desunt exempla decretorum quibus unius intercessio plurium tribunorum voluntati sit posthabita. Id sæpissime evenit in delectibus agendis, quod necessitas ipsa bellandi vim intercessionis ab uno aut a paucioribus interpositæ extenuabat. Sic, invito Sp. Icilio, auxiliantibus collegis, delectum habitum scripsit Livius, et, postero anno, nihil unum moratorem commodi publici contra quatuor collegarum consensum valuisse (5). Eodem modo, quum Mænius, agrariæ legis lator, delectum

(1) Livius, IV, 26.
(2) Livius, IV, 30.
(3) Gellius, IV, 14.
(4) Cic., *in Verrem*, Act. II, Lib. II, 41.
(5) Livius, II, 43, 44.

impediret, novem tribuni, decreto interposito, sustulerunt certamen pronuntiaveruntque ex collegii sententia : « C. Valerio consuli se damnum aliamque coercitionem » adversus intercessionem collegæ delectus causa de- » trectantibus militiam inhibenti, auxilio futuros esse. » Auctoritati collegii cessit unius tribuni voluntas (1).

Denique, non modo intercessionis, sed ne sacrosanctæ quidem potestatis ulla ratio habita est in C. Scantinio, qui filium C. Marcelli de stupro appellaverat. Collegium tribunorum negavit se intercedere quominus pudicitiæ quæstio peragеretur. Causam itaque collegarum præjudicio affectam egit ad populum Scantinius et damnatus est (2).

Itaque collegium tribunicium ad similitudinem consilii judicum constitutum est, et in Basilica Porcia, subselliis positis, res tractabat (3). Eo ut veniret, quanquam jus vocationis tribunis non erat datum, cœpit citari per viatorem quicumque aut privatus aut judex aut magistratus controversiam de jure ipso cum appellante habuit (4). Omnis interpretatio legum, disceptatio juris seu publici seu privati, formularum a prætoribus datarum judicatio, eorumque interdicta et judicium totum tollendi potestas penes collegium tribunicium fuit. Ibi causæ dicebantur sententiæque tribunorum perrogabantur et perscribebantur, tabulario plebis, aut annalibus aut actis diurnis servandæ.

Quum centuriones qui primos pilos duxerant inferiores

(1) Livius, IV, 53.
(2) Val. Maximus, VI, 1, n° 7.
(3) Plut., *Cato min.*, V.
(4) Gellius, XIII, 12.

sibi ordines attribui nollent, tribunos plebis appellaverunt. Duo ex collegio ad consules rejiciebant. Octo se cognituros aiebant de quo appellati essent, et, si injuria fieret, auxilium civibus laturos. Ad subsellia tribunorum res acta est. Eo M. Popilius consularis, advocatus, centuriones et consul venerunt. Res tamen non decreto tribunorum peracta. Nam tribuni, rogatu consulis, plebem ad concionem advocaverunt, quæ rem dijudicaret (1). In judiciis publicis appellabantur tribuni plebis a reis, etiam ne causa diceretur; quod a Vatinio factum, nequaquam tam inauditum fuit quam Cicero, in oratione contra Vatinium, contendit (2). Ti. Gracchus id se intercessione, P. Africani causa, effecturum promiserat. Ejusdem generis fuit Damionis appellatio, qui Pompeii domum hominibus armatis obsederat et in jus ad tribunal Flavii prætoris eductus est. Appellavit Damio collegium tribunorum, qui, postquam de appellatione cognovere, dixere sententias, inter quas unam L. Novii tribuni judicium tollentis Asconius ex actis illius anni exscripsit (3). Ut ante judicium ne causa diceretur, sic post judicium ne pœna penderetur potuit fieri ad tribunos appellatio, ut facta est Munatii, qui, quod Marsyæ demptam coronam e floribus capiti suo imposuisset, in vincula a triumviris duci jussus est. Tribuni appellantem aspernati sunt (4). Denique in judiciis seu publicis seu privatis collegii tribunicii decreta interponebantur incœptis necdum perfectis actionibus, si quid contra jus fieri videretur. Burrhie-

(1) Livius, XLII, 32, 33.
(2) Cic., *in Vatin.*, 14.
(3) Ascon., *Ad or. pro Milone*. Cic., Orelli, t. V, p. 47.
(4) Plinius major, *H. N.*, XXI, 6.

nus prætor Nævium in possessionem bonorum Quintii absentis miserat, tanquam hic vadimonium deseruisset. Alphenus, Quintii procurator, libellos, quibus bona Quintii proscribebantur, dejecit, et, si quid contra eum ageretur, promisit se judicio defensurum. Nævius postulabat contra jus, ut Alphenus judicatum solvi satisdaret, tanquam ejus procurator, qui vadimonium deseruisset. Quod æquum esse Alphenus negabat, quia Quintius non reipsa desertor vadimonii fuisset, et bona ejus non jure essent possessa. Appellati tribuni plebis, cognita causa, decrevere supersedendum, dum Quintius ipse, Romam reversus, Idibus Septembribus vadimonium sisteret (1).

Quod si rudes illos tribunos plebis, qui reos indemnatos necabant, et actionibus uno verbo, ne causa quidem ulla subjecta, poterant intercedere, cum hoc collegio conferas quod disceptantes audiebat, jura pensabat, sententias, tanquam judicum in tribunali, numeratas jubebat perscribi, fatebere tribunatum non jure aut potestate factum esse majorem, sed tractabiliorem et aptiorem ad omnes usus vitæ civilis.

§ 2. — *Quomodo tribuni plebis se gesserint aut adversus Senatum aut in Senatu.*

Vetustissimis tribunis plebis intrare curiam non licebat; ante valvas positis subselliis, decreta Patrum attentissima cura examinabant, ut, si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus senatusconsultis T littera subscribi solebat, eaque nota signifi-

---

(1) Cic., *pro Quintio*, 6 et 7.

cabatur, illa tribunos quoque censuisse (1). Legati quippe exteræ plebis extra templum considere debuerunt ubi triginta curiarum, id est urbani populi Patres de summa republica deliberabant, nec nisi consulto a magistratibus vocati introducebantur (2). Hic mos usque ad Decemvirorum tempus servatus est, nec vere Dionysius affirmat Icilium tribunum plebis an. 454 a. Chr. jus sibi convocandi senatus arrogasse. Ipse enim paulo infra fatetur id Icilium minitando videlicet a consule expressisse ut senatum cogeret (3).

Postquam, eversis Decemviris, aliquot per annos intermissa, tribunicia potestas renovata est, multa ex antiquo ejus statu mutata sunt. Sed, utrum in pejus an in melius mutata sint, ut quæramus monet Q. Ciceronis notissima de tribunatu opinio.

Dolet enim M. Tullii frater, pestiferam quam dicat illam potestatem, Horatii et Valerii legibus fuisse restitutam; quæ, primo statim ortu, inter arma civium et occupatis et obsessis Urbis locis fuisset procreata; deinde, quum esset cito ablegatus, tanquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore iterum creatum multoque tetriorem et fœdiorem natum esse (4). Mihi vero, qui potiorem M. Tullii opinionem esse ducam, videtur renascens ille tribunatus, non tetrior ab Horatio et Valerio consulibus reipublicæ redditus, sed contra similior cæteris magistratibus. Utrum enim reipublicæ utilius fuit, a templo senatus tribunos, quasi hostes, excludi, qui tamen

---

(1) Val. Maximus, II, 2, n° 7.
(2) Dionysius, VII, 25.
(3) Dionysius, X, 31, 32.
(4) Cic., *De legibus*. III, 8.

absque ulla deliberatione, non subscribendo, possent senatusconsulta apud plebem irrita facere, an, admissos in curiam, cum senatoribus disceptare, sententiam dicere, et de sententia aliquando demoveri? Hoc fuit magis quam illud et rerum administrationi commodum et senatus majestati decorum. Hoc effecere leges Horatiæ et Valeriæ.

Post Decemviros enim, videmus tribunos plebis senatus consultationibus interesse solitos (1). Hoc facilius ad sententiam patriciorum nonnulli ex eis perduci potuerunt, ut legibus agrariis intercederent (2). Senatus præsentium tribunorum auxilium poposcit ut sibi parere consules cogerent (3). Tribuni aliquando intercessionis opem senatoribus, aut petentibus denegavere (4), aut obtulere recusantibus (5). In redigendis senatusconsultis hoc quoque lucri fecit amplissimum reipublicæ consilium, quod antea pro irritis habebantur ea quibus tribuni non subscripsissent, nunc vero ea, quibus absentes, quum adesse possent, non intercessissent, rata fuere (6). Ea vero quæ, propter intercessionem, non justam vim senatusconsultorum obtinebant, tanquam auctoritates perscribi tamen poterant (7). Quum vero tribunorum plurimum interesset, ut scirent quæ vera et sine intercessione perfecta essent senatusconsulta, ne, ut antea, arbitrio consulum supprimerentur aut vitiarentur, Horatius et Vale-

(1) Livius, III, 69, IV, 1.
(2) Livius, IV, 48, 49.
(3) Livius, IV, 26.
(4) Livius, IV, 56, 57.
(5) Livius, V, 9.
(6) Livius, IV, 36.
(7) Dio Cassius, LV, 3.

rius consules instituere, ut ea in ædem Cereris ad ædiles plebis, id est ad ministros tribunorum, deferrentur (1).

Varro, ut monet Gellius, in quarto epistolicarum quæstionum libro, posuerat qui fuerint per quos, more majorum, senatus haberi soleret, eosque nominabat : « Dictatores, consules, prætores, tribunos plebi, interre» gem, præfectum urbi. » Neque alii, præter hos, jus fuisse dixerat facere senatusconsultum; quotiensque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum, quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum consulendi senatus jus fuisse (2). Post prætores igitur tribuni plebis ad jus convocandi et consulendi senatus ordine accedebant. Postea scripserat Varro intercedendi ne senatusconsultum fieret jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii qui senatusconsultum facere vellent, majoreve essent (3). Quum autem videamus, Canuleiarum rogationum tempore, tribunos plebis jus intercedendi senatusconsultis habuisse, nec quicquam, intercedentibus tribunis, per senatum agi potuisse (4), ab eis jam tum senatum jure potuisse convocari et consuli inde colligimus. Quod congruit cum Varronis et Ateii Capitonis sententia : « Tri» bunis plebis senatus habendi jus fuisse, quanquam » senatores non essent, ante Atinium plebiscitum » (5). Hoc tamen jus, quia consules et prætores ordine suo senatum convocare præoccupabant, a tribunis plebis

---

(1) Livius, III, 55.
(2) Gellius, XIV, 7, n° 4.
(3) *Ibid.*, n° 6.
(4) Livius, IV, 6.
(5) Gellius, XIV, 8, n° 2.

sequenti tantum ætate usurpatum veteres meminere (1), et cum relationis jure conjunctum (2).

Atinium plebiscitum, quo tribuni plebis senatores facti sunt, ante Cn. Tremellii tribunatum (anno 168 a. Chr.) rogatum esse constat, qui potestatis censorum prorogationi, quia lectus non erat in senatum, intercessit (3). Hanc enim præteritionem nominis sui nulla de causa injuriæ loco habendam esse Tremellius duxisset, nisi jam tum tribuni plebis senatoribus adscribi jure soliti essent. *Drumann* Atinium plebiscitum Gracchorum temporibus (4), *Walter* anno 213 a. Chr. (5) antiquius esse censent. Ego et horum auctoritatem peritissimorum virorum nec non et multa antiqui juris vestigia secutus, non multo post conversum reipublicæ romanæ statum, anno a. Chr. 240 senatorium gradum adeptos esse tribunos plebis conjeci (6). In hoc autem me erravisse fateri libet, quod crediderim, a legibus Valerii et Horatii usque ad Atinium plebiscitum, tribunos plebis, qui nondum senatores essent, a senatu fuisse exclusos. Constat enim eos illis temporibus in curiam admissos fuisse et iis annumeratos quibus, quanquam senatores non erant, in senatu sententiam dicere licebat (7). Ideo, postquàm Atinio plebiscito tribuni plebis plane senatores facti sunt, in iis legibus, quibus

---

(1) Cic., *De legibus*, III, 4 : *Tribunis quos sibi plebes rogassit jus esto cum Patribus agendi.*

(2) Livius, XXII, 61. XXVII, 5. XLII, 21. Cic., *De orat.*, III, 1.

(3) Livius, XLV, 15.

(4) Drumann, *Geschichte Roms nach Geschlechtern;* t. III. Julii, S. 443. Anm. 77. u. Zweiter Theil, 20, Anm. 67.

(5) Walter, *Geschichte des rœmischen Rechts,* I, S. 157.

(6) *Histoire des Chevaliers romains*, t. 1er, p. 383.

(7) *Ibid.*, p. 74-75. Cf. Festus s. v., *Senatores*, ed. Egger, p. 224.

senatores soli tenebantur, post tres ordines eorum, qui curules magistratus gesserant, nominabantur cum tribunis militum legionibus quatuor primis, cum quæstoribus (1), identidem cum triumviris (2) etiam tribuni plebis.

Legibus Horatii et Valerii aditus ad curiam tribunis patefactus est, jus intercedendi senatusconsultis, quod prius etiam habuerant, cum jure senatus advocandi et sententiam in senatu dicendi conjunctum. Polybius scripsit, suo tempore, senatum, intercedente uno tribunorum, non modo senatusconsultum nullum perficere, sed ne deliberare quidem aut convenire potuisse (3). Discrimen quod inter tribunos plebis et magistratus romanos fuerat eo etiam minus factum est, quod, post Decemviros, jus auspiciis utendi et de cœlo servandi cum tribunis plebis est communicatum (4). Valerius enim et Horatius eis, quasi per honoris speciem, concesserunt ut, in conventibus, auspiciis uterentur (quod prius patriciorum proprium fuit), quum revera id agerent consules, ne tribuni et multitudo quidvis temere exsequi possent, sed per causam auspiciorum aliquando impedirentur. Jus itaque illud, specie incrementum potestatis, reipsa societatis et publici juris vinculum, tribunis fuit adjectum. Temeritati multitudinis spatium et mora conquiescendi dabatur quum per auspiciorum causam dies eximeretur (5). Turbulentissimis Vatinii rogationibus collegæ obsistere tentaverunt, dum quotidie servarent de cœlo (6).

(1) Cic., *pro Cluentio*, 54. Cf. *pro Rab. Postumo*, 6.
(2) *Lex Servilia de repetundis*. Egger. *Lat. Serm.. reliquiæ*, p. 234.
(3) Polybius, VI, 16, n° 4.
(4) Zonaras, *Annales*, Bonn, 1844, VII, 19, t. II, p. 69.
(5) Livius, XXV, 3.
(6) Cic., *In Vatinium*, 6 et 7.

Videtur, post Decemviros, populus romanus, quum tribunatum reficeret, nonnihil de jure sacro curiarum plebeiis magistratibus impertivisse. Pontifice enim maximo comitia habente, in Aventino, decem tribuni plebis creati sunt (1). Nec multo post, patricii cooptationis morem reducere conati sunt, qui posset collegium tribunicium cum sacerdotum collegiis æquare. Ideo etiam tribuni illi plebis, quibus omnes assurgere, omnes de via decedere debebant, cœpere erga pontificem maximum, erga Vestales populi romani Quiritium officiis reverentiæ obstringi. Claudia Vestalis, quum patrem suum triumphantem, e curru, violenta tribuni plebis manu detrahi animadvertisset, se interponendo, sacrosanctam potestatem inimicitiis accensam depulit (2). Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta est, quod cum Æmilio Lepido, pontifice maximo, injuriose contenderat; sacrorumque quam magistratuum jus potentius fuisse Livius dixit. Quippe tribuni in magistratuum romanorum numero tum sunt habiti (3).

Ergo quod Marius, tribunus plebis, Cottæ consuli, in senatu ipso, ni decretum aboleret senatoribus propositum, carcerem et vincula minatus est, quod reclamantem Metellum, vocato extrinsecus viatore, prendi jussit et in robur conjici (4), ea vis omnis ad vetustissimum jus gentium referenda est, tribuniciæ potestati coæquævum. Quod vero tribuni plebis, ex legatis exteræ gentis, populi romani senatores facti, de senatusconsultis disceptabant

(1) Livius, III, 54.
(2) Val. Maximus, V, 4, n° 6.
(3) Livii, *epitome*, 47.
(4) Plut., *Marius*, IV.

neque ea silentio irrita reddebant, quod dudum a curiis alieni, tunc auspiciis utebantur, et sacerdotibus romanis morem gerebant, id novi juris fuit, usu rerum et civili consuetudine illati. Tribunicia enim potestas, ut vinum longa ætate concoctum mitescit, paulatim posuit nativam asperitatem, nec nisi per intervalla efferbuit.

§ 3. — *De jure tribunicio comitiis intercedendi.*

Quum ad omnia fere comitia convocanda auctoritate senatus via præmuniretur (1), tribuni plebis, senatusconsulta vetando fieri, comitia convenire, magistratus creari vetabant. Itaque, Fabio Vibulano, Ti. Quinctio consulibus, senatus, qui consules quam tribunos militum in posterum annum creari maluit, non potuit, per intercessiones tribunicias, senatusconsultum facere. Ideo a consulibus ad interregnum respublica rediit, neque id ipsum sine ingenti certamine. Nam modo tribuni plebis patricios ad prodendum interregem coire prohibebant, modo interregem interpellabant, ne senatusconsultum de comitiis consularibus faceret (2). Licinius et Sextius per quinquennium nullos curules magistratus creari passi sunt, comitiis omnibus, præter ædilium tribunorumque plebis, intercedendo; ipsique in hac solitudine magistratuum refecti tribuni plebis regnaverunt (3).

Quod ad comitia tributa attinet, usque ad decemviros, nihil novæ legis, præter creationem tribunorum et ædi-

(1) Livius, III, 24, 31. Dionysius, IX, 41.
(2) Livius, IV, 43.
(3) Livius, VI, 35, f.

lium plebis in iis rogari potuit sine auctoritate senatus quam Dionysius vocat προβούλευμα (1). Primum plebiscitum, quod non ad comitia tribunorum aut ædilium plebis pertineret, sine auctoritate senatus, illud factum est, anno 447 a. Chr., quo Horatius et Valerius consules jussu plebis triumphaverunt (2). Legum quippe ferendarum, quas non Patrum approbavisset auctoritas, ea lege centuriata tribunis plebis jns concessum est, qua decretum est, ut quod tributim plebes jussisset populum teneret (3).

Ergo ante Decemviros concilium plebis impedire poterant tribuni, senatusconsultum fieri vetando, post Decemviros, tribunus qui concilium vocaverat, dimittebat; qui non vocaverat, seu obnuntiatione, quia jam auspiciis utebatur, seu quemquam loqui præter collegas vetando, impediebat.

Ea enim fuit vis legis contra interfationem, ut in concilio plebis quivis a tribuno, præter collegam, silere jussus ne hiscere quidem auderet. Sic rogationem Semproniam Ti. Gracchi de lege agraria quum scriba in eo esset ut legeret (4), Octavius tribunus plebis ab eo recitari legem vetuit. Scriba reticebat, donec minis Tiberii compulsus legere iterum cœpit et, vetante iterum Octavio, destitit. Eodem modo, accusante Jugurtham Memmio apud plebem, rex, qui nihil haberet quod respondere jussus posset, pecunia Bœbium tribunum corruperat ut se respondere vetaret. Nequicquam irascente concione per speciem

(1) Dionysius, VII, 38, 39, 41. X, 30. Livius, III, 31.
(2) Livius, III, 63.
(3) Livius, III, 55.
(4) Appianus, *B. civ.*, I, 12.

parendi potestati sacrosanctæ rex obmutuit. Ludibrio habita plebs discessit (1).

Quum ubique easdem omnibus prehensionis minas intentare tribuni possent, jus silentium injungendi hominibus a concilio plebis ad omnia comitia, ad omnes administrandæ reipublicæ partes translatum est. Tiberius enim Gracchus (2) obstinatæ Octavii intercessioni iratus decrevit omnibus magistratibus ab agendis rebus esse abstinendum, donec lex agraria perferretur; templum Saturni, ubi erat ærarium, portis occlusis, sigilli sui notis impressit, ne quid efferre aut inferre quæstores possent; prætoribus vero, qui, indicto justitio, jus reddere perseverarent, mulctas eas proposuit, ut, quasi nefasto die, omnia tribunalia silerent. Hoc jus omnia vetandi et impediendi (3) et ærarium ipsaque ora hominum obsignandi nihil novi habuit, sed totum ex vetustissima illa contra interfationem lege ductum est.

Sed usu rerum eo devenere tribuni ut multum de summo jure comitia impediendi et legibus intercedendi remitterent. Creandis magistratibus hactenus intercedere insueverunt, ut comitia, non prorsus tollerent, sed differrent(4). Legibus vero rogandis ita traditum est, ne quis prius tribunus intercederet, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset, eoque persæpe evenit, ut, qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis ex ratione dissuadentium, intercederent, et qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi aucto-

(1) Sallustius, *Jugurtha*, 34,

(2) Plutarchus, *in Ti. Graccho*, 10.

(3) Zonaras, *Annales*, VII, 15, Plutarchus, *Quæst rom.*, 81-84.

(4) Livius, VI, 36, VII, 17; *epitome*, 105; Dionysius, VIII, 90.

ritatibus suadentium legem (1). Hoc igitur quoque intercessionis genus in dies ad civiliorem morem redactum est.

§ 4. — *De jure tribunicio reos agendi aut ad plebem aut ad populum.*

Non solum ad vetandum comparata, ut ait Plutarchus, sed etiam ad agendum promptissima fuit tribunicia potestas. De jure rogandi leges disserere proposito meo non conducit, quum plebiscito Montis Sacri tribuni creati sint, et plebiscita, vel invito senatu, plebem rogare semper potuerint. Id tantum de hoc jure detrahi concesserunt, ut, usque ad Decemvirorum tempus, auctoritas senatus tribuniciis rogationibus quasi prærogativa postularetur (2). Si velim de omni genere legum, quas tribuni pertulerunt, mentionem facere, hujus opusculi finem et modum excedam. Quod locupletissimi auctores jam antea exposuerunt retractare supervacaneum (3).

Quis vero non credat tribunos plebis, simul atque cœperint patricios ad plebem aut ad populum reos agere, multo auctiores jure et potestate evasisse? Longe aliter se habere rem sibi persuadebit quisquis veteris historiæ scriptores attenta mente perlegerit.

Nam in Coriolani causa nihil agunt, nihil petunt patricii aliud, nisi ut ne reus indemnatus, indicta causa, a tribunis exsilio aut morte afficiatur (4). Judicium plebis de

(1) Livius, XLV, 21.
(2) Dionysius, VII, 41.
(3) Duruy, *Histoire des Romains*, t. II, p. 35-37; ch. XVIII, § 2.
(4) Dionysius, VII, 35-36.

Coriolano non fuit tribuniciæ potestatis incrementum, sed temperamentum. In causa Cæsonis idem factum est; nam quum Virginius, tribunus plebis, prendi Cæsonem, cui jam dies dicta erat, jussisset, reclamante patre Cæsonis, negavit se sumpturum supplicium de indemnato ut de eo supplicii sumendi copia populo romano fieret (1). Remittebat igitur aliquid antiqui juris Virginius; perduellem enim et violatorem sacrosanctæ potestatis necare indemnatum fas erat. Eamdem pœnæ remissionem animadvertimus in certandis mulctis quas lex sacrata Icilia de interfatione jubebat a tribunis indici, a plebe judicari. Nec interfationis reus sacer erat, nisi vades dare recusasset (2). Per provocationem ad plebem jus tribunicium perduelles necandi tolerabili fine conclusum est, et quanquam non penitus sublatum, vix ultra minas mortis postea progressum est.

Legem Horatii et Valerii de provocatione, ad tribunos plebis ut ad cæteros magistratus pertinuisse, argumento est Appii Claudii decemviri periculum, qui, quum contra Virginium tribunum ejus collegas frustra appellasset, ad plebem provocavit. Hæc provocatio libertatis vindex non obstitit quin Virginius eum arripi a viatore et pro damnato in vincula duci juberet. Effecit tamen ut reo dies diceretur et judicii quædam forma constitueretur (3). Postquam ex Decemviris alii sibi ipsis mortem conscivere, alii solum exsilii causa vertere, M. Duilius, tribunus plebis, modum nimiæ potestati salubriter inhibuit, neque quemquam in vincula duci passus est (4).

---

(1) Livius, III, 13. More suo Livius populum pro plebe nominat.

(2) Vide supra.

(3) Livius, III, 55-57.

(4) *Ibid.*, 59.

Vim indomitam antea tribunatus duobus dehinc frenis quasi constrictam reperimus, appellatione tribunorum contra tribunos et provocatione ad plebem. Quum Hortensius tribunus diem dixisset Sempronio, anni prioris consuli, collegæ Hortensii interrogati quid acturi essent responderunt se judicium populi (1) tollere nec velle nec posse, sed vestem cum reo mutaturos : adeo simpliciter sacrosancta potestas, perlatis de provocatione legibus, aliquid se majus esse fatebatur ! Ideo quædam causæ apud collegium tribunorum agi cœptæ, rogatu consulum, ad plebis concionem deferebantur (2), violatique a publicanis tribuni plebis, quibus liceret per sacratas leges supplicium de violatoribus majestatis suæ sumere, mulctas reis indicebant, quæ pro concilio plebis certarentur et damnatos ad exsilium compellerent (3).

Neque ad plebem solum, sed etiam ad populum centuriatim citatum poterat a tribunis appellari in causis scilicet perduellionis, quod supra (4) satis explicavi. Igitur quum tribuni plebis citare reos ad plebem aut ad populum insueverunt, non tam novi juris aliquid adepti sunt, quam agnoverunt, vim dictatoriam perduelles indemnatos necandi mitigare et legibus de provocatione submittere civium et hominum more fore dignius.

§ 5. — *De jure tribunicio intercedendi judiciis seu publicis seu privatis.*

Collegium tribunicium ad formam judicii constitutum esse ostendimus, quum pro collegio tribuni pronuntiarent

---

(1) Livius, IV, 42. Ponit *populi* pro *plebis* nomine.
(2) Livius, XLII, 33.
(3) Livius, XXV, 3 et 4.
(4) V. supra.

aut decernerent. Nec me fugit viros doctissimos (1) huic opinioni esse refragatos et Gellium erroris arguere quod, cum veteres tribunos plebis novis opponat, illos non juri dicundo creatos dicat, hos vero jus dixisse videatur innuere (2). Gellio soli, parum diserte rem explicanti, equidem non crediderim. Sed Ciceronis auctoritati obsequendum reor, qui tribunorum decreta inter judicata, et tribunos ipsos inter judices numerat, « Judicatum est, in» quit, id de quo sententia lata est aut decretum interposi» tum. Ea sæpe diversa sunt ut aliud alii judici, aut » prætori, aut consuli, aut tribuno plebis placitum sit, et » fit ut de eadem re sæpe alius aliud decreverit aut judi» caverit (3). »

Quod si quis objiciat nullos unquam tribunos de qualibet causa sententiam eam tulisse qua de rebus ipsis aut de causa reorum decideretur, respondebo eamdem fuisse et prætoris et cæterorum magistratuum jurisdictionem, qui sententiam non ferebant, sed modum et formulam judicii præfiniebant. Uno verbo ita collegium tribunicium jus dixit ut, apud nos, consessus ille judicum qui vocatur *Cour de Cassation*, qui de jure ipso decernit, nihil vero quod ad singulas causas aut personas pertineat, transigit.

Latius tamen patuit tribunorum potestas, qui non solum judicia facta rescindere et irrita facere, sed etiam actionibus nondum perfectis intercedere, et judicium nondum inceptum tollere posset, seu id ad res privatas seu ad publicas spectabat. Primum enim arbi-

(1) Rein, in Pauly's *Realencyclopædie der Alterthumswissenchaft*. s. v. *Tribuni plebis*.

(2) Gellius, XIII, 12, n° 9.

(3) Cic., *Rh. ad Herennium*, II, 13.

trio suo, nulla juris ratione habita, tribuni poterant auxilium aut præstare inique petentibus, ut Bæbius regi Jugurthæ præstitit (1), aut denegare ut illi tribuni, qui patricios orantes, ut sibi causam non dicere liceret, repulerunt (2). Intercedebant tribuni quotiescumque causa ita impedita esset, ut nullum judicium inveniretur et res magis ex æquo et bono quam ex jure summo judicari deberet (3). Re etiam tum integra, judicium tollebant, aut moræ causa, quoad bellum esset (4), aut quoad absens reus vadimonium sistere posset (5), aut auxilii causa, si prætor, in formula judicii danda, sententiæ ferendæ, aut ineundæ actionis modum præscripsisset qui in fraudem aut injuriam alicujus esset inventus. In causa publica repetundarum, quum Lucullus prætor, accusantibus Græcis gratificatus, ex eorum postulatione aliquid decrevisset, reus Antonius formulam judicii sibi iniquam esse ratus, juravit se judicium id ejurare, et tribunos plebis appellavit; quapropter a censoribus, quibus illa formula æqua videretur, senatu motus est (6). In causa privata, Bambalio Antonii triumviri socer, idem facere non erubuit. Diffisus causæ suæ, si ex edicto et formula prætoris ageretur, intercessoris iniquissimi beneficio, non jure prætorio, injuriam, id est id quod injuste contendebat, obtinuit (7).

De formula prætoris quomodo apud collegium tribuno-

(1) Sallustius, *Jugurtha*, 34. Cf. Cic., *in Vatin.* 14.
(2) Livius, IX, 26.
(3) Cic., *Acad. prior.*, II, 30.
(4) Livius, VI, 31.
(5) Cic., *pro Quintio*, 7, etc
(6) Ascon., *ad or. in toga candida*. Orelli, t. 5. Cic., p. 84.
(7) Cic., *Philipp.*, II, 6.

rum disceptaretur, egregie nos docet Tullii causa a Cicerone acta (1). Quum enim Tullii familia a Fabii servis esset occisa, quod Fabii fundo domum inædificare videretur, Fabius a prætore postulavit ut in formulam judicii verbum *injuria* insereret. Qnæri enim volebat injuria necne cædes servorum adversarii facta esset, tanquam jure fieri potuisset. Ideo Fabius contra prætoris formulam tribunos plebis appellavit, sed a nullo eorum auxilium impetravit.

Nonnumquam non de formula ipsa, nec de jure unius causæ appellabantur tribuni, sed de latius patente et ad rerum civilium universitatem pertinente juris quæstione. In causa Quintii (2), quæsitum est æquumne esset procuratorem rei satisdare, quum reus ipse satisdare non deberet, si ipse adesset. Cicero inducit adversarios ita altercantes : « Postulabam ut satisdaretur. — Injuria » postulabas. — Verum prætor decernebat. — Igitur tri» buni appellabantur. » Quæstionem juris propositam non ausi dissolvere tribuni, quum contra injuriam prætoris auxilii ergo advocarentur, moram tantum interposuere, dum reus peregre profectus rediret.

Inter ipsas actiones tribuni plebis intercedere, et, judicio infecto, a tribunali jubere ut discederetur, jure potuerunt. Sic (3) Cæsonem, cui dies esset dicta, a Virginio prendi et in vincula conjici plures tribuni vetuere. In Oppianici judicio, L. Quintius idem tribunus plebis et rei patronus, quum in consilium duo et triginta judices ituri essent et, sedecim emptis sententiis, reum absolutum iri

(1) Cic., *or. pro Tullio*, fragm. 3, 7, 8.
(2) Cic., *pro Quintio*, 7, 20, 28.
(3) Livius, III, 13.

Quintiuscrederet, voluit tamen Staleni sententiam ad cumulum septimam decimam accedere. C. Junio judici quæstionis convicium Quintius fecit, ne sine Staleno in consilium iretur. Tum tribunus plebis, a publico judicio ad privatum Staleni judicium profectus, hoc pro potestate dimitti jussit et Stalenum ad subsellia judicum Oppianici adduxit (1).

Denique, rebus jure judicatis, aut pœna legitima magistratus decreto indicta, ne damnatus quidquam mali pateretur tribuni jure intercedebant. Jam primis reipublicæ liberæ temporibus, debitores addictos vetabant in vincula duci (2), etiamque judiciis publicis convictos aut reos (3). Terentium prætorem vidimus L. Scipioni carcerem esse minitatum quod peculatus damnatus pecuniam in ærarium non referret, tribunumque Ti. Gracchum unum exstitisse pro Scipione libertatis vindicem (4). Sed id maxime animadvertendum, in appellatione tribunorum a Publio Scipione facta, intercessionem ita postulatam, ut Lucius damnatus contra jus et morem ab hominibus armatis non a plebe ipsa esse diceretur (5). Adeo id usu invaluerat ut intercessioni suæ tribuni plebis juris civilis tuendi causam præfarentur.

Pœnas a minoribus magistratibus injunctas, a triumviris videlicet, tribuni plebis aut mitigare aut breviores efficere potuerunt. Nævium poetam in carcerem, ob probra in principes civitatis dicta, a triumviris conjectum, e

---

(1) Cic., *Pro Cluentio*, 27-30.
(2) Livius, VI, 27.
(3) Livius, III, 59.
(4) Livius, XXXVIII, 60, Val. Maximus, IV, 1 n° 8.
(5) Gellius, VII, 19.

carcere tribuni plebis exemerunt (1). Majorum etiam magistratuum sententiis, auxilio interposito, obsistebant. Videmus enim tribunum plebis perduellionis crimen censori intentasse qui clientem suum publico inædificantem mulcta coercebat (2). Dictatoris solum decretis se interponere tribuni plebis jure non poterant, et quum hinc plebeia majestas, illinc imperium summum populi romani starent, iis quos dictator damnasset non justum, sed precarium auxilium tribuni plebis ferebant (3).

(1) Gellius, III, 3
(2) Livius, XLIII, 46.
(3) Livius, VIII, 33.

PARS QUINTA

DE TRIBUNICIA POTESTATE EXTREMIS REIPUBLICÆ LIBERÆ TEMPORIBUS ET SUB PRINCIPATU.

Quamvis historiam tribunatus perpetuo tenore deductam scribere non fuerit mihi propositum, tamen paucis verbis quorsum tanta potestas evaserit adumbrare, tribunatus ipsius naturæ pernoscendæ non fuerit inutile. Sylla, dum tribunos plebis et leges ferre, et rebus et causis publicis intercessionem interponere vetaret, tribunatus imaginem sine re reliquit (1). Quin et tribunos plebis nullum alium magistratum capere posse jusserat. Sed leges dictatoris non multo post ejus mortem sunt eversæ. Tribunicia potestas, a Pompeio præsertim consule, in omnia antiqua jura restituta est. A natura sua tribunatus fere descivit quum Clodius patricius per fal-

---

(1) Velleius, II, 30. Cic., *De legibus*, III, 9. Cæsar. *B. civ.*, I, 5.

sam adoptionem plebeius, deinde tribunus plebis factus, fretus multitudine urbana, Romæ dominatus est. Ideo M. Tullius a tribuno patricio, a plebecula forensi in exsilium ire jussus sibi rem cum vero illo ac rustico tribunatu fuisse negabat (1).

Libertatis non propugnatores, sed proditores tribuni Antonius et Curio Cæsaris castra petiere ut bello civili materiem præberent. Senatus invidiæ flamma subjecta, Cæsar sacrosanctæ potestatis ulciscendæ causam præ se tulit, ut patriæ bellum inferret. Sed Pompeii victor, cum cæteros magistratus, tum etiam tribunatum derisui habuit. Epidium enim et Cæsetium tribunos plebis magistratu privavit sacrosancto, quod sibi displicuissent (2). Quid igitur ei profuit majestatem tribuniciam perpetuam (3) sibi arrogasse? Sese ipse tantus vir induebat, et conjuratorum enses in se acuebat imprudens institutorum et hominum patriæ suæ contemptor; nec Catone minus habendus est Cæsar sui ipsius interfector, sed non voluntarius.

Cæsaris casu edoctus Augustus, veteris instituta Romæ se mirari et vereri, etiam quum mutaret, professus est. Tribunatum, ut ita dicam, in duas partes divisit: vim ejus maximam et tribuniciam vere potestatem sibi sumpsit et Principibus quasi hereditariam tradidit. Nomen et ornamenta, quædam etiam munera tribunatus, magistratibus annuis reliquit. Sejunctim igitur de tribunatu et de tribunicia potestate disserendum. Utraque imago tribunatus antiqui similitudinem, sed vi valde dissimili, referebat.

---

(1) Cic., *De legibus*, III, 11.
(2) Suetonius, *Cæsar*, 79.
(3) D. Cassius, XLII, 20.

Tribuni plebis sub principibus eadem jura, specie tenus, quæ, florente republica, exercebant. Poterant enim et intercedere (1) et auxilium ferre (2), et perduelles aut majestatis crimine, aut ob nefanda scelera damnatos de saxo dejicere (3), et senatum convocare (4), et ad senatum referre (5). Honore etiam et jure auctos fuisse tribunos plebis credas, si ad nomina tantum munerum et ad titulorum amplitudinem attendas. Quum enim jam Syllæ tempore (6) quæstores numero senatorum adscriberentur, usu autem id invaluisset ut ex quæstoriis deligerentur tribuni plebis (7), nonnisi senatores, laticlaviis inserti, ad tribunatum perveniebant. Mox autem, ædilium curulium evanescente magistratu, consularibus et prætoriis tertius senatorum ordo cœpit adjici tribuniciorum (8). Eamdem senatus salutandi formulam invenimus usurpatam fuisse et a Commodo, et ab imperatore Constantino a. 319 p. Chr. (9), et ab impp. Honorio et Theodosio a. 423 (10). Denique Constantinopolis (11) etiam

---

(1) Tacitus, *Annales*, I, 13; VI, 47; XVI, 26; *Hist.*, IV, 9. D. Cassius, LVII, 15, f.

(2) Tac., *Ann.*, XIII, 28: *Hist.* II, 91 D. Cassius, LX, 28.

(3) D. Cassius, LVIII, 15; LX, 18. — Tac., *Ann.*, II, 32; IV, 29; VI, 19 *Hist.*, III, 71.

(4) D. Cassius, LX, 16, f. Suet., *Tib.*, 23.

(5) D. Cassius, LV, 3. Tac., *Ann.* VI, 12.

(6) Beaufort, *Rép. Romaine*, IV, 7.

(7) D. Cassius, LIV, 26. Suetonius, *Octavius*, 10 et 40.

(8) D. Cassius. LXXII, 15 : *Commodus salutem dat consulibus, prætoribus, tribuniciis, senatui Commodianæ.*

(9) Lex, I *Cod. Theod.*, VIII, 18.

(10) *Cod. Theod.*, II, I, 12. IV, II, 2.

(11) *Cod. Theod.*, XII, I, 74, § 3. Hæc illustravit Becker, *Handbuch der ræm. Alterthümer*, zw. Theil, dritte Abth. S. 253-256. Id animadvertendum consules, prætores, tribunos plebis pro consularibus, prætoriis, tribuniciis solitos esse nominari.

senatores habuit tribunos plebis. Ut dignitatem novam, sic etiam munera nova adepti esse videntur sub principibus tribuni plebis. Postquam enim Augustus in XIV regiones Urbem distribuit (1), tribuni plebis ut prætores et ædiles regionum curatoribus præficiebantur (2), eoque nomine ædes vetustate collapsas a magistris vicorum jubebant refici (3). Augustalium quoque festos dies, iisdem magistris vicorum ministrantibus, celebrari jubebant (4). Quum jam tum magistratus plane urbani essent, jurisdictionem de rebus in Foro venalibus exercuere, quæ non multum ab illa videtur abhorruisse, quam olim ædilibus plebis delegaverant (5). Ideo præfecto Urbis a. 339 p. Chr. in edicto Aproniano tribuni plebis subjecti inveniuntur (6).

Quam vana autem et fluxa et parvi pendenda fuerint tot dignitatis novæ ornamenta res ipsæ declarant. Sublatis enim a Tiberio comitiis, non jam a plebe tribuni plebis, sed a senatu, designante Principe, eligebantur. Si autem auxilio aut intercessione contra voluntatem Principis uterentur, solebant plecti aut potestate privari (7). Intercessionem habuisse eos usque ad Neronis tempora videmus, tum vero auxilii ferendi iis, quos consules aut prætores prenderent, jus amisisse (8); ne mulc-

(1) Suetonius, *Oct. Aug.*, 30.

(2) D. Cassius, LV, 8.

(3) Fabretti, c. II, n° 103 : *Jussu Pollionis trib. plebis æd (es) reg. III vetusta..... (ma) gistri anni sua impensa restitu.....*

(4) D. Cassius, LVI, 46-47. Egger, *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste*, Appendice, II, § 2 et 3.

(5) Juvenalis., *Sat.*, VII, v. 228. Tac., *Ann.*, XIII, 28.

(6) Becker, L. L., nota 1079.

(7) Tac., *Ann.*, VI, 47.

(8) Tac., *Ann.*, I, 77; XIII, 28.

tas quidem, a tribunis plebis indictas, ratas fuisse, nisi eas consules approbassent (1). Jam, Tiberio regnante, Augustalium cura omnis a tribunis ad prætores fuerat translata (2). Denique, a. 218 p. Chr., regnante Macrino, quum tribuni plebis senatum convocaverunt, hujus juris memoria jam fere tempore fuerat abolita (3).

Dilabentibus paulatim tribunatus viribus, candidati jam tum sub Augusto et Claudio huic magistratui defuerunt (4). In eo tamen majestatis sacrosanctæ nonnulla vestigia remanebant, ut, quid jam esset tribunatus, a tribunis ipsis, Trajani tempore, dubitaretur. Sic enim de tribunatu scripsit Plinius minor : « Consulis an existimem te in tribunatu causas agere debere. Plurimum « refert quid esse tribunatum putes, inanem umbram « et sine honore nomen, an potestatem sacrosanctam et « quam in ordinem cogi, ut a nullo, ita ne a se quidem « deceat. Ipse, quum tribunus essem, erraverim fortasse, « qui me esse aliquid putavi; sed, tanquam essem, abstinui causis agendis ; primum, quod deforme arbitrabar, « cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc, « omnibus sedentibus, stare, et, qui jubere posset tacere « quemcumque, huic silentium clepsydra indici, et, quem « interfari nefas esset, hunc etiam convicia audire (5). »

Scilicet omnem vim, omnem, ut ita dicam, succum tribunatus ad se paulatim traxerat tribunicia Principum potestas. Tribunorum titulum Principes non usurpabant,

---

(1) Tac., *Ann.*, XIII, 28.

(2) *Ibid.*, I, 15.

(3) D. Cassius, LXXVIII, 37.

(4) D. Cassius, LIV, 26 et 30; LVI, 27 ; LX, 11. Suetonius, *Oct. Aug.*, 10, 40.

(5) Plinius. I, *epist.* 23. Cf. *Paneg.*, 95,

quod nefas esset patricios hunc magistratum gerere, sed tribuniciam potestatem a senatu accipiebant, per quam inviolati essent et sacrosancti, per quam omnia possent aut jubere aut vetare (1). Primus Augustus undecimum consul, a. 23 a. Chr., tribuniciam potestatem perpetuam recepit (2). Ipse in testamento scripserat sibi lege esse concessum ut esset sacrosanctus et tribuniciam potestatem perpetuo obtineret (3). Agrippam, deinde Tiberium et imperii collegas et consortes tribuniciæ potestatis assumpsit per senatusconsulta (4). Tiberius, initio regni, edictum quo Patres in curiam vocabat nonnisi tribuniciæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ (5). Tiberius interdum egit jure tribuniciæ potestatis senatusconsultis intercedendo (6). Sed quod Princeps erat sacrosanctus, lex majestatis sub Tiberio tot clades civitati intulit, et tot reos ad rupem Tarpeiam compulit (7).

Mox id in usum vertit, ut, quem Princeps tribuniciæ potestatis fecisset participem, is dignitatis imperatoriæ socius et hæres foret. Itaque Trajanus a Nerva simul et filius adoptatus est et Cæsar designatus, mox assumptus est Imperator et consors tribuniciæ potestatis (8). Idem fecit Adrianus in adoptando Antonino (9). Spartianus in *Adriano* tribuniciam potestatem perpetuam plane impe-

---

(1) D. Cassius, LIII, 17.

(2) Suetonius, *Oct. Aug.*, 27. D. Cassius, LIII, 32. *Tac.*, *Ann.*, I, 9.; III, 56,

(3) *Tabulæ mon. Ancyr.*, a G. Perrot in Gallicam linguam translatæ, X.

(4) Tacitus, *Annales*, I, 2, 3 et 10.

(5) *Ibid.*, I, 7.

(6) *Ibid.*, IV, 30.

(7) D. Cassius, LVIII, 15.

(8) Plinius, *Paneg.*, 8.

(9) Capitolinus, *in Antonino*, ed. Parisiis, 1620, p. 18.

ratoriæ adæquat (1). Sic enim tribunicia potestas cum majestate regni conjuncta fuit, ut Dionis tempore, Imperatores annos sui principatus ab accepta tribunicia potestate numerarent (2).

Hoc igitur unicum est potestatis exemplum, ut initio, sic in ipso interitu infinitæ. Vidimus enim eam ita primis reipublicæ liberæ annis fuisse sacrosanctam, ut tribuni plebis possent indemnatos eos, qui se verbo tantum violassent, saxo dejicere. Quod si verba, quibus Dio Cassius tribuniciam Imperatorum potestatem describit, retulerimus, ejus nec naturam nec vim mutatam esse agnoscemus.

« Hæc potestas, inquit, eis jus attribuit, quidquid ab » alio fiat, nisi approbent, vetandi, et injuriæ obnoxios » eos esse non sinit. Si vel minimum re aut verbo lædi » videantur, possunt injuriæ auctorem, utpote sacrum, » indicta causa, interficere (3). »

Usque adeo, ab antiquissima origine usque ad imperii jam labantis tempora, mansit sibi ipsa constans, integra et dictatoriæ compar illa quæ fuit primum plebis, deinde tribunorum, denique Imperatorum ac regum majestas!

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII kal. nov. ann. MDCCCLXXII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
PATIN.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.

---

(1) Spartianus, *in Adriano*, *ibid.*, p. 2.
(2) D. Cassius, LIII, 17. Cf, Spanheim, *De usu et præst. numismat.*, t. II, Diss. XII, p. 426.
(3) D. Cassius, *ibid.*

INDEX RERUM

VERSAILLES. — CERF ET FILS, IMPRIMEURS, 59, RUE DU PLESSIS.